

C. CAESAR L. F.

Persona in Ciceronis Dialogo de Oratore

Terentiomastix in Ciceronis Limone

Fragmenta C. Caesaris L. f. oratoris et poetae colliguntur

In memoriam Friderici Ritschl

Non omnia possumus omnes, velut equidem omnium doctorum sententiam communem secutus peccavi „Gesch. d. röm. Literatur“ (1937) p. 481, cum vocem salsam apud Suetonium, *Vit. Ter.* p. 34 R. traditam C. *Caesaris* in Terentium: o *dimidiate Menander* dictatori Caesari tribui. nempe immemor tunc fui consuetudinis Ciceronis, qui C. Iulium Caesarem, oratorem et poetam, *Strabonis* cognomine immerito auctum a posteris, non nisi C. *Caesarem* sive simpliciter *Caesarem* aut *Iulium* sive C. *Iulium* in scriptis philosophicis et rhetoricis nominat. iam igitur meliora edoctus vocem salsam sub nomine C. *Caesaris* traditam poetae Sullani temporis C. Caesari tribuo. simul autem hoc evicero, Caesarem illum carmen didascalicum de poetis elucubravisse, qui canon criticus fuerit consimilis iis, quos eodem fere tempore aut paullo ante Porcius Licinus et Volcaci Sedigitus evigilaverant. ex quo carmine C. Caesaris Cicero eclogam de Terentio in *Limonem* suum, opus miscellaneum transtulit, ut Terentium a Caesare Terentiomastige defenderet exordio novo eclogae Caesaris indito. sic ad Suetonium pervenerunt ex Ciceronis *Limone* ecloga C. Caesaris et versus Ciceronis.

Familiarissimus autem Ciceroni fuit C. Caesar L. f., circa annum 130 a. Chr. natus, anno 87 a Marianis trucidatus, quippe quem Cicero studiis oratoriis deditus et *scribens et legens et commentans* adulescens *cottidie fere* in foro audiverit teste ipso *Brut.* 305. unde liceat mihi hunc C. Caesarem passim „magistrum Ciceronis“ vocare, ut eum a dictatore C. Caesare distinguam. qua autem auctoritate Caesar ille etiam per decennia, quae obitum eius exceperet, usus sit, inde intellegitur, quod ex testimonio Suetonii, *Iul.* 55 gentilis eius, dumtaxat adulescens, dic-

tator Caesar ex (illius) oratione, quae inscribitur *Pro Sardis ad verbum nonnulla transtulit in divinationem suam*. iam vero Cicero virtutes dicendi magistri passim in variis libris laudibus sustulit; nullam tamen virtutem plus extulit quam salsum eius loquendi genus: *Tusc. V 55 C. Caesaris, in quo mihi videtur specimen fuisse humanitatis, salis, suavitatis, leporis. De off. I 108 erat . . . lepos maior etiam in C. Caesare L. f. quin salem eius tanti habuit, ut De oratore II 233—289 doctrinam rhetoricam iocorum et facetiarum eum exponentem faceret: quare, Caesar, ego quoque hoc a te peto, ut, si tibi videtur, disputes de hoc toto iocandi genere quid sentias. praeterea cf. De orat. III 30 quid? noster hic Caesar nonne novam quandam rationem attulit orationis et dicendi genus induxit prope singulare? quis umquam res praeter hunc tragicas paene comice, tristes remisse, severas hilare, forenses scaenica prope venustate tractavit, atque ita, ut neque iocus magnitudine rerum excluderetur nec gravitas facetiis minueretur. item salem C. Caesaris primo loco inter virtutes eius loquendi posuit Cicero, De orat. II 98 Caesar . . . inusitatum nostris quidem oratoribus leporem quandam et salem . . . est consecutus. De off. I 133 salem vero et facetiis Caesar . . . vicit omnes.*

1. o dimidiate Menander

Vox in Terentium: o dimidiate Menander quo spectet cf. Rubenbauer, *Thes. 1. L. V 1 p. 1202, 63* „sermone Menandrum aequans, non vi.“ risum autem vox ideo movet, quia, quod manci et imperfecti arti, ingenio, virtuti comicae Terentii inhaereat, ad corporis humani figuram in monstrum versi per iocationem ludibriosam transfertur. Terentium Menandri figura non incolumi, sed parte alterutra figurae in binas partes directe ad perpendiculum sectae repraesentari, nugis gavisus Caesar asserit. atque adeo corporis habitus ad indolem mentis illustrandam illo quoque dicto Caesaris adhibetur, quod ille ex iocis ipsius, apud Ciceronem, *De orat. II 266* diversa genera facetiarum tractans, dignissimum memoratu duxit: *ut meum illud in Helvium Manciam: „ostendam cuius modi sis“; cum ille: „ostende quaeso“, demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico sub Novis distortum, eiecta lingua, buccis fluentibus; risus est commotus.* proprium igitur iocandi genus C. Caesaris recurrit in irrisione apud Suetonium tradita Terentii, quamquam Terentii monstrum tantum per imaginem fingitur, Mancia corpore deformi reapse fuit.

Ceterum proxime abest Caesar in usu vocabuli *dimidiatus* facetias perdens a Lucilio, v. 1342 s. Marx; ubi Lucilius Polyphemum cyclopa coclitem per imaginem ludibriosam cum porco quadrupede a lanione in binas partes in directum disiecto comparat: *uno oculo, pedibusque duobus, dimidiatus ut porcus*. atque adeo pluribus numeris Caesarem in carmine critico de poetis a Lucilio suspensum esse, infra p. 31 demonstrabo. quemadmodum autem C. Caesar, Lucilio paene contemporaneus Manciam irridens pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico sub Novis tabernis in parte septentrionali fori exstructis digito demonstravit, ita Romanos tunc temporis Marx II p. 428 lepide monuit porcum dimidiatum saepe vidisse haerentem ante lanienas in foro boario. verum ne iocosa comparatio Terenti ab arte manca laborantis cum homine *dimidiato* in crassum aut etiam in insubidum aberret, fac memor sis Tertulliani, *De carnis resurr.* 57 p. 116 Vind.; quo ex loco discimus, Romanos sub *dimidiatis hominibus* vulgo *caecos* (adde *luscos*), *claudos*, similiter corpore impeditos intellexisse. nihilo setius Lucilianis facetiis firmatur, ex saeculo, quod Caesar vidit, Gracchano fuisse usum istum mordacem vocabuli *dimidiatus*. quem usum inter antiquiores Plautus quoque exhibet, convivas in cena accubantes increpans, qui cibos iusto avidius appetentes corpus ex lectis tricliniaribus sic efferant, ut fissi directe ad perpendicularium esse videantur, *Mil.* 762 *sed procellunt et procumbunt dimidiati, dum appetunt*.

Eximitur autem acumen peculiare ex ioco Caesaris, si theodisce *o dimidiate Menander* non „Du halbierter Menander“ vertitur, sed „halber Menander“. quae versio ne ad mentem solam trahatur periculum est; Caesar vero corporis monstrum ideo in sermonem tulit, ut fracto corpore artem fractam significaret. differentiam vocabulorum *dimidiatus* et *dimidius* Gellius III 14 explicat, quae differentia etiam narratiuncula quadam apud Macrobi, *saturn.* II 3, 4 obvia illustratur: (*Cicero cum vidisset clipeatam imaginem eius (Quinti fratris, hominis statura parva) ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam . . . ait: „frater meus dimidius maior est quam totus“*. quodsi Cicero *dimidius*, non *dimidiatus*, posuit, *dimidius* meram mensuram indicat, *dimidiatus* ad corpus discissum eiusque corporis aspectum miserabilem spectat, dimensionem parum curat.

Denique quantopere obstrictus fuerit Caesar iocationi ex homine repetitae utcumque monstroso, etiam cognomine eius

Sesquicūlus a Mario Victorino, *Gramm.* VI p. 8, 8 Keil tradito probatur. nam qui vir aut ab aliis, sive inimicis, sive amicis, *Sesquiculi* cognomentum accepit, aut se ipsum appellavit per iocum de improvise factum vocabulo incipiente a *sesqui*, quod valet dimidiam alicuius quantitatis partem quae toti additur, is facile in dimidiati Menandri imaginem incidit. scurrilitate Menander *dimidiatus* aequat Caesarem *sesquiculum*.

Iocationem per voculam *sesqui* institutam Varro quoque exhibet; qui in *Menippearum* illa, qua vitae suae Odyssian narravit Frg. 460 ff. Buecheler, se ipsum *Sesqui-Ulixen* vocavit, ut Ulixis aerumnas suis longe superari gloriaretur.

2. De cognomentis C. Iulii L. f. Caesaris

Verum plus una ratione castigatio cognominum Iulii oratoris et poetae utilis est ad rem absolvendam nobis propositam. omnia autem eius cognomenta in catalogum Marius Victorinus, *Gramm.* l. l. collegit: *Iulius Caesar, qui Vopiscus et Strabo et Sesquicūlus dictus est.* quibus de cognomentis singulis quaestiones singulae institutae haud parvum valent ad diiudicandum, utrum sub *C. Caesare*, qua nomenclatione Suetonius auctorem versuum in Terentium significat, Ciceronis magister, an dictator intellegendus sit. nam si probavisse contigerit, oratorem et poetam praeter *Caesaris* cognomen hereditarium nullum aliud legitimum cognomen sua ipsius aetate tulisse, confusio dictatoris cum poeta liquidissima fit. neque enim *Strabonis* cognomen ante Augustum in litteris apparet errorique fatali libertorum Augusti debetur, qui recens exstructum forum Augusti titulis Caesarum diu defunctorum exornabant; cf. infra p. 12 s. *Vopisci* autem et *Sesquiculi* cognomenta potius agnomina privata quam cognomina legitima fuerunt.

Incipio a *Sesquicūlus*, quod vocabulum in litteris latinis ἀπαξ λεγόμενον ad hunc modum explicatur apud Forcellini-De-Vit V p. 478: „nomen a *sesqui* et *culus*; qui ita magnis est praeditus natibus, ut videatur habere culum cum dimidio“. ad obscaeniorum etiam explicationem ducit sestertius irrisorius in Commodum Caesarem, publicatus atque ectypo redditus a W. Derichs, *Mus. Rhen.* 95 (1952) p. 48 ss., denuo tractatus a V. Pisani, *ibid.* p. 286 s. quo in sestertio Herculis clava ita secat litteras tituli *Herculi Romano Augusto*, ut in latere dextro clavae lectio evadat: *culi ano usto*. Commodi anus ut hominis pathici tam laxus factus esse dicitur, ut Herculis clavam pati posset. simili igitur irrisione mordaci fieri potuit, ut *C. Ca-*

sarem illum *Sesquiculum* vocarent adversarii acerbissimi. non, si pathicum Caesarem fuisse, litterarum memoria nulla proditur, idcirco pudicus fuit. quid enim sciremus de dictatore Caesare homine pathico, si Catullus in Caesarem et Mamurram ut cinaedos invectus non esset militesve in triumpho Gallico non cecinissent: *Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem*. de dictatore palam infamia asperso cf. Mus. Rhen. 93 (1949) p. 3 s. et 20 ss.

Nihilo setius sunt quae obstant, ne Caesar poeta cognomentum *Sesquiculus* publice gesserit. utique hoc vocabulum extra numerum eorum agnominum molestorum remanet, quae viris nobilibus a similitudine cum servis, cocis, histrionibus, mimis indita sunt, qualia *Serapio, Salvitto*, alia Plinius, *Nat. hist.* VII 52 ss. collegit¹⁾. immo cuius cognomenti Marius Victorinus solus unus testis remanet, id ex antiquariorum curiosorum studio singularia effodientium ad eum pervenisse, iusto iure suspicabimur. velut oratio adversarii semel tantum in hanc appellationem probrosam incidentis, aut etiam amici cuiusdam allocutio ad tempus festiva, nec non et Caesaris ipsius dictum quoddam scurriliter se ipsum illudentis in censum veniunt. Horatius quidem se ipsum *porcum Epist.* I 4, 16 vocat, et ab Augusto suaviloquentia epistulari, ut Suetonius, *Vit. Hor.* p. 46 R. narrat, *purissimus penis* appellatur. unde haud scio an ad *Sesquiculi* appellationem declarandam utilissimum sit meminisse Catulli, *carm.* 53,5 *di magni, salaputium disertum*. qui locus Catullianus praeclare demonstrat, Romanos etiam virtutem alicuius admirantes vocabula obscaena amabiliter adhibuisse. Calvus enim orator felicissimus hac exclamatione tam blanda quam obscaena effertur. reapse autem *salaputium* i. q. mentulam valere nec ullum marem per ludibrium *penem* vocari apud Romanos nisi eum, qui ut Calvus aut Horatius statura brevis fuit, docui Mus. Rhen. 96 (1953) p. 94 s.; de etymo autem vocabuli nos erudivit V. Pisani ibid. p. 181 s.; qui quamquam *salax, salive* a *salaputium* procul habuit, tamen significationem mihi probatam sua ratione linguistica firmavit.

Ad id igitur inclino, ut, perinde ac Calvus voce obscaena *salaputium* cum benevolentia invocatur, sic etiam *Sesquiculus*

1) Difficile dictu est, num agnomina ex similitudine tracta hic illic etiam ad opprobrium vitae spectaverint; de *Salvitto* cf. Plinium, *Nat. hist.* VII 54 *eiusdem familiae Scipioni... nomen Salvitto mimus dedit*. at audiendus est etiam Suetonius, *Iul.* 59 *despectissimum quendam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitae Salvitoni cognomen erat*.

nil nisi iocosa blanditia sit ex uno tantum litterarum loco ad grammaticos delapsa. *culus* etiam i. q. *πυγή*, *nates*, valere Glos-sae Thes. 1. L. IV 1339,43 testantur. iam vero apud Italos nostrorum quoque temporum ii, qui fortuna prospera praeter ceteros felicitantur, magnis praediti natibus pathicique amiciter in iocis passim vocantur, etsi remoti a consuetudine morbida vitam puram degunt²⁾. ab antiquitate igitur usque ad nostrum aevum duravit Italorum lascivia hilarior quam obscaenior, ex qua sensus translatus cognomenti in C. Caesare obvii *Sesqui-culus* lucem accipit. cf. etiam infra p. 9.

Caesar dictator, pathicus ille quidem, idem fortuna prospera uti non solum aliis, sed etiam sibi ipsi visus est. quod indicatur narratiuncula quadam apud Ps.-Plutarchum, Ἀποφθ. βασ. κ. στρατ. p. 206 D tradita, sive vera, sive ficticia est. de fide PS. Plutarchi egit W. H. Friedrich, „Caesar u. sein Glück“ (Thesaurismata, 1954, p. 1 ss. et p. 165). Caesar igitur a Dyr-rhachio per Hadriaticum procellosum periclitatus Brundisium petere, gubernatori lembi vi fluctuum perturbato aperiens sese exclamavit: πλοῦτε τῇ τύχῃ, γνοῦς ὅτι Καίσαρα κομίζεις.

Vopisci cognomen praeter Marium Victorinum duo tantum scriptores, Varro et Cicero, singulis uterque locis usurpant: Cic., *Philipp.* XI 11 *Caesar Vopiscus ille summo ingenio, summa potentia, qui ex aedilitate consulatum petit, solvatur legibus.* Varro, *Rust.* I 7, 10 *Caesar Vopiscus aedilicium causam cum ageret apud censores, campos Roseae Italiae dixit esse sumen.* Plinium, *Nat. hist.* XVII 32 praetereo, quia Varronem ad verbum exscripsit. Ciceronis locus in annum 43 cadit, Varronianus in annum 37. itaque demum post necatum a. 44 dictatorem Caesarem cognomen *Vopiscus* Caesari aedilicio in litteris inditur. cur vero Cicero et Varro ad cognomen antea inusitatum accesserint, facile dictu est. in recentissima memoria necati dictatoris C. Caesaris alter C. Caesar cognomine additio undecumque ascito distinguendus erat, quia *Caesaris* vocabulum nude positum ad dictatorem tunc temporis ab omnibus referebatur. Cicero quidem, qui ante dictatoris mortem poetam et oratorem identidem laudat, ne eo quidem loco *Tusc.* V 55 (anno 45), ubi a fratre Lucio viro consulari Gaium distinxit, „Vopiscum“ eum cognominavit, sed fratres praenominibus distinguere satis habuit. quin idem Cicero, qui *Philipp.* XI 11 anno 43 Caesarem ex aedilitate consulatum petentem *Vopisci* cognomine a dictatore distulit, de eadem arrogantia Caesaris

2) Cf. F. Chiappini, Vocabolario romanesco² con aggiunte e postille di Ulderico Rolandi (Roma, 1945) p. 106; 415 s. v. *culo*. quod ad vocabularium me Vittorio Pisani per litteras relegavit.

aedilicii locutus in oratione a. 56 habita *De har. resp.* 43 eum non „Caesarem Vopiscum“, sed Gaium Iulium nominavit: *Gaioque Iulio consulatum contra leges petenti.*

Qua vero auctoritate freti Varro et Cicero Caesari illi cognomen *Vopisci* addiderint, quaeritur. sub initiis rei publicae Romanae post reges expulsos gens Iulia inde ab exordio saeculi V ante Chr. usque ad saeculum IV praecipue floruit (cf. Realenc. X 106). ex testimonio Dionysii Hal., *Antiquit.* IX 37 anno 473 a. Chr. Δεύκιος Αἰμίλιος Μάμερκος τὸ τρίτον καὶ Οὐοπίσκος Ἰούλιος consules fuerunt (cf. Realenc. I 570; X 656). ubi quod *Vopisci* cognomen vice praenominis fungitur, cf. *Lib. de praenom.* 3 p. 589,9 Kempf *quae olim praenomina fuerunt, nunc cognomina sunt.* atque *Lib. de praen.* ipse quoque testatur consulatum *Vopisci Iulii* 2 p. 589,1; quibus testibus accedit etiam Livius II 54,3. hac igitur memoria respecta facile sibi quis persuaserit, ex prisco aevo gentiles Iulios vocabulum *Vopisci* repetivisse addendum viro summo ingenio, summa potentia, qualem Cicero, *Philipp.* XI 11 Caesarem Vopiscum dicit. verum hoc si ita esset, non abesset ab elogio *Strabonis* in foro Augusti Inscr. Dessau 48 infra p. 9 exscripto cognomen vetustissimum. nimirum Augustus antiquitatis cascae renovandae cupidus vestigia omnia eius generis sedulo protraxit.

Quodsi censoria auctoritate *Vopisci* cognomen caret, privatus usus apud Ciceronem et Varronem agnoscendus est. qui tamen usus privatus aliter intellegi nequit, nisi si Caesar ille interdum sibi ipse *Vopisci* cognomen in scriptura sua imposuit. quod quo iure fecerit, ut pateat, vocabuli appellativi *vopiscus* sensus respiciendus est. geminus enim hoc vocabulo significabatur, qui retentus in utero matris post geminum alterum abortu eiectum partu legitimo nasceretur. quid multa? Caesar Vopiscus reapse *vopiscus* fuit, suoque arbitrio semel atque iterum hoc vocabulo pro agnomine usus est.

Substerno testimonia antiqua de sensu appellativo nominis *Vopisci*; quae quamquam pleraque recentiorum temporum sunt, tamen ad Varronem et ultra Varronem ascendunt. a Varrone pendet *Lib. de Praen.* 4 p. 589, 11 K. (*vocabatur*) *Vopiscus qui in utero matris geminus conceptus altero abortu eiecto incolumis editus erat.* praeterea cf. Plin. „*Nat. hist.* VII 47 *Vopiscos appellabant e geminis qui retenti utero nascerentur altero interempto abortu.* Solin. I 69 p. 17 Mommsen. Nonius p. 557 (p. 894 Lindsay) *Vopiscus, qui ex duobus conceptis uno abortu excluso ad partum legitimum deducitur.* Isid., *Orig.* IX 5, 21. Plutarch., *Coriolan.* 11. Lydus, *De mag.* I 23 p. 26 Wuensch Βώβισκον τὸν διδυμον μὲν συλληφθέντα, τοῦ δὲ ἑτέρου φθαρέντος, σωζόμενον.

Relinquitur ut de fonte disputem, unde Marius Victorinus cognomenta *Vopisci* et *Sesquiculi* acceperit. *Vopisci* cognomen grammaticis ex Varrone et Cicerone innotuisse potuit. at *Sesquiculi* memoria peculiaris Victorini remanet. itaque ex hac Victorini eruditione selecta ad primarium fontem grammatici ascendendum est. quae quaestio ut successu secundo procedat, Victorini ecloga Gramm. VI p. 8,6 Keil, cui catalogus cognominum Caesaris inest, integra exscribenda est: *iuxta autem non ponebant (antiqui litteras) -cm-; inde nec Alcmenam dicebant nec Tecmesam, sed Alcumenam; inde Alcumeo et Alcumena (et Tecumesa) tragoediae, donec Iulius Caesar, qui Vopiscus et Strabo et Sesquiculus dictus est, primus „Tecmesam“ inscripsit tragoediam suam et in scaena pronuntiari iussit.* hoc igitur loco vocabulum ἀπαξ λεγόμενον *Sesquiculus* una cum praecepto Iulii traditur histrionibus dato, ut vocem *Tecmesae* in agenda tragoedia forma nova pronuntiarent repressa antiqua forma *Tecumesae*. quae cohortatio poetae fabulam docentis in prologo scaenico locum idoneum sibi vindicat. itaque primarium fontem memoriae apud Marium Victorinum apparentis, qui metricus scriptor in omni genere poeseos Latinae versatus traditionem metricorum priorum propagavit, senarium quandam Caesaris tragici fuisse suspicor in prologo *Tecmesae* obvium: „*Vopiscus docuit, Sesquiculus, Iulius*“. cuius generis versum qualicumque modo structum si fuisse sumimus, quaestiones molestae, quae circa nomenclationem C. Caesaris sunt, mirum quantum sublevantur.

Primum hinc explicatur, cur tragoediae Caesaris titulo *Iulii* inscriptae prostiterint in bibliothecis veteribus; cf. Asconium, *In Scaurianam* p. 26,30 Stangl: *idem (Caesar) inter primos temporis sui oratores et tragicus poeta bonus admodum habitus est; huius sunt enim tragoediae, quae inscribuntur Iuli.*

Praeterea *Vopisci* cognomentum C. Caesaris cur Varroni et Ciceroni in mente haeserit, tunc protrahendum, cum post dictatorem Caesarem recens necatum C. Caesar vetustior ille cognomento distinctivo egebat, commodissime sic declaratur, ut tam Varroni quam Ciceroni lectionem assiduam tragoediarum Caesaris tribuamus. Cicero, *De orat.* III 30 artem tragicam Caesaris bilance ponderat; Varro habitavit in scaenicis antiquioribus. atque adeo inter antiquiores scaenicos C. Caesarem locum nobilem occupavisse, historia quadam apud Val. Max. III 7, 11 occurrente approbatur: *Accius . . . Iulio Caesari, am-*

plissimo et florentissimo viro in collegium poetarum venienti numquam adsurrexit.

Denique quae de *Sesquiculi* cognomento quaestio est, ad finem feliciter pervenit, si prologus tragicus in censum vocatur, ut cognomentorum Caesaris apud Victorinum servatorum ratio reddatur. quanto usui prologi scaenici ad cognoscendas res intimas antiquiorum scaenicorum posteris fuerint, Fridericus Marx, „Naevius“ (Sächs. Ber. 63, 1911, p. 43 ss.) docuit. an vero Plauti nomina in notitiam certiore nobis venissent, si Ritschl in prologo Plaut., *Merc.* 10 ex deperdita codicum scriptione vocabula *Macci Titi* non restituisset? atque etiam id ipsum discitur ex prologis Plautinis, poetas interduum nomina vel cognomina sua in ludicrum ipsos vertisse. *Asinariae* in prologo v. 11 *Demophilus scripsit, Maccus vortit barbare* Plautum fugere non potuit, quam iocularare *Macci* nomen sonaret, cum antiquitus apud Italos Atellanae fabulae personae scurriles risum movissent *maccus, bucco, pappus, dossennus*. accedit *Casinae* in prologo v. 34 Plautus se ipsum irridens, cum dicit *Plautus cum latranti nomine* (cf. F. Leo, „Plaut. Forsch.“, 1912, p. 207, 2; edit. Plaut., *Cas.* ad v. 34). itaque antiquiores scaenicos aemulatus Iulius, scriptor prae ceteris satiricus, cognomentum *Sesquiculus* i. q. hominem fortunatum significans sibi ipse per iocum indidit. nec est, quod haesitaverit quispiam, an in tragoediae prologo non ioculetur Iulius, qui testante Cicerone, *De orat.* III 30 *res tragicas paene comice, . . . severas hilare . . . tractavit.*

Consimiliter igitur atque Horatius, saturarum scriptor ipse se *porcum* Epicureum cum hilaritate sui et suorum dixit, Plautus cognomen suum ad canes baubantes gaudentibus caveis rettulit, nec non et Varro in *Menippeis* cum delectatione lectorum ipse se *Sesquiulixem* vocavit, sic C. Caesar *Sesquiculum* se cognominando spectatoribus risum movit (cf. supra p. 4 et 6).

Venio ad Strabonis cognomen, quod auctoritate utitur elogii Augustei, quo testimonio nec antiquius ullum est et praecipuum fertur cognominis *Strabo*: Inscr. Dessau 48 (anno 2 ante Chr.) *C. Iulius L. f. Caesar Strabo, aed. cur., q., tr. mil. bis, Xvir agr. dand. adtr. iud., pontif.* huius igitur testimonii vim, quoad valeat ad cognomen *Strabo* testandum, pro virili parte infringere meum est. apud scriptores *Strabo* ante Augustum nusquam occurrit. atque etiam post Augustum nominatio a

cognomine Augusteo pura in usu esse perstitit, quin usitator vel tunc remansit quam nova Augustea. quattuor tantum scriptores aevi imperatorii auctoritatem elogii Augustei defendunt. praeter Marium Victorinum supra p. 4 et 8 exscriptum Priscianus declinationem vocis *penus* tractans *Caesarem Strabonem* laudat; cuius ex oratione *Contra Sulpicium tribunum* eclogam brevem bis affert *Inst.* V p. 170,21 Hertz et VI p. 261,4. ad grammaticos accedunt Velleius et Suetonius. quorum Velleius in conspectu oratorum nobilium post memoratos L. Crassum et M. Antonium pergit II 9, 2 *quorum aetati ingeniisque successere C. Caesar Strabo, P. Sulpicius*. Suetonius, *Iul.* 55 *Strabonis Caesaris orationem quae inscribitur pro Sardis* laudat. ceterum altero loco quodam idem Suetonius C. Caesarem etiam cognomine Strabonis suppresso memorat, *Cal.* 60 *observatum est . . . , Caesares omnes, quibus Gai praenomen fuerit, ferro perisse, iam inde ab eo, qui Cinnanis temporibus sit occisus. ubi pro inde ab eo qui potuit inde a Strabone, qui . . .*

Nulla iure Thomas Stangl, „Cic. orat. scholiastae“ II (1912) p. 53, 20 apud Ascon., *In Cornelianam* et hunc secutus C. Giarratano, Asconii ed. (1920) p. 72,8 *hic est Cotta . . . magnus orator habitus et compar in ea gloria P. Sulpicio et C. Caesari* lacunam in memoria manuscripta post *Caesari* obviam suppleverunt cum Lichtenfeldt vocabulo *Straboni*. sensus enim flagitat (*aequalibus*), a Kiessling-Schoell, Asconii ed. p. 58 reposuit. ceterum iusto fundamento supplementum *Straboni* ideo caret, quia Asconius, ubi de Gaio Caesare illo distinguendo a fratre Lucio loquitur, *In Scaur.* p. 26, 23 ss. Stangl Strabonis cognomen fratris minoris ignorat. A. C. Clark in ed. Oxoniensi (1907) p. 66,21 abstinuit a lacuna explenda loco illo commentarii *In Cornelianam*.

Ista igitur cum memoria cognominis *Strabo* sit, tantum sane concedendum est, corpus orationum titulum *Caesaris Strabonis* prae se ferens inde ab Augusto senescente in bibliothecis prostitisse. quod corpus duas minimum clarissimas orationes continuit. actione *Pro Sardis* Caesar consimiliter atque Cicero actione *Pro Siculis* fundamenta gloriae suae iecit; oratio, qua *Sulpicio tribuno* respondit, funesta ei fuit, quia tribunus postea ad ferrum et ad arma civilia processit, in quibus Caesar interiit. praeter autem corpus orationum sub Augusto conditum nihil dare opus est ad usum per saecula imperatoria dispersum cognominis *Strabo* declarandum. si Victorini catalogum cognominum excipis, *Strabo* nullo loco occurrit nisi ubi de oratore Caesare vel de orationibus eius agitur. tragoediarum corpus, quod ex Asconii testimonio p. 8 allato *Iuli* inscriptum fuit, nil obstat, quin ad liberae rei publicae tempora referamus. e contrario orationum corpus Augusteum, quod fuisse dedi, a

vetustiore collectione orationum Caesaris suspensum fuisse, eo vetamur credere, quia a litteris Romanis liberae rei publicae, in quibus orator Caesar identidem laudatur, tamen cognomen *Strabonis* abest. quod vero imperatoria aetate praeter elogium in foro Augusti etiam apud bibliopolas et in bibliothecis receptaculum memoriae cognomenti *Strabonis* fuisse sumpsi, auctoritate grammaticorum, Marii Victorini et Prisciani commoveor. nimirum inter quattuor testes illos, qui aetate imperatoria Caesarem *Strabonem* cognominant, Velleius et Suetonius Romae scribentes *Strabo* in monumento fori Augustei legere potuerunt; aliter res se habet in testimoniis Victorini et Prisciani.

At quantumcumque orationes Caesaris sub titulo *Strabo* post Augustum in vulgus missae ad hoc cognomen propagandum valuerunt, ne iis quidem locis, ubi mentio Caesaris ad oratorem spectat, *Strabo* praevaluit. primum puto interest scire, Asconium, auctorem gravissimum sub Nerone scribentem cognomen *Strabo* ignorare; cf. supra p. 10 et infra p. 12. item vel post Augustum orator non *Strabo*, sed *C. Iulius* nominatur apud Apuleium, *apol.* 66, ubi ex deperdita codicum scriptione *C. Mucius* Sauppe verum *C. Iulius* restituit collato Cic., *De off.* II 50. similiter Quintilianus, *Inst.* XI 3, 129 a Cic., *Brut.* 216 suspensus *Iulium* oratorem vocavit, idem Quint. 1. 1. VI 3, 38, Ciceronem, *De oratore* II 266 reddens, *C. Iulium* dixit, utrisque locis omisso *Strabonis* cognomine. accedunt loci tres, ubi nomenclatio *C. Caesar*, eadem quae in Suetonii *Vita Terentiana* de poeta Caesare adhibetur, de oratore aetate imperatoria usurpatur. Val. Max. V 3,3 *qua procella verborum impium Sextili caput obrui meretur, quod C. Caesarem, a quo defensus fuerat, . . . truculento victori iugulandum tradere non exhorruit.* Quint., *Inst.* VI 3,75 et 91. atque hos duos locos Quintiliani, usque ad nostra tempora dictatori falso datos, reapse *C. Caesaris*, magistri Ciceronis esse, infra p. 38 probavi.

Ne vero casui aliquid in tanta litterarum Romanarum clade tribuisse accessar, in eo acquiescere nolo, quod perraro tantum Caesar ille *Strabo* vocatur, nec umquam ante Augustum. nimirum plena nomenclatio virorum illustrium identidem desideratur. velut *C. Licinius Calvus*, poeta et orator clarus, *Licinus* aut *Calvus* apud aequales, Ciceronem et Catullum, atque etiam apud posteros appellatur suppresso cognomine *Macer*. quod tamen eum legitime tulisse, solus unus auctor testatur L. Aemilius Lepidus Paullus apud Cic., *Ad. Q. fr.* II 4, 1 *si Macer Licinius cunctaretur* (cf. Realenc. XIII 429, 12 ss.). item

P. Cornelii Lentuli cognomen *Spinther*, ex similitudine cum histrione quodam ei additum, apud Ciceronem desideratur, cum apud Caesarem, Nepotem, Sallustium et in titulo militari Inscr. Dessau 2224 occurrat (cf. Realenc. IV 1393,6 ss.). quocirca iam eos locos Ciceronis, Varronis atque etiam Asconii, grammatici circumspectissimi in auxilium voco, ubi in discernendo C. Caesare L. f. ab aliis Caesaribus opera et cura collocantur. iis enim locis iusto iure exspectamus, ut scriptores illi, qua sunt vigilantia, si *Strabonis* cognomen novissent, eodem distinguendi causa usuri fuerint. nec tamen utuntur. cf. Asconium, *In Scaurianam* p. 26,23 Stangl *Iulios autem cum dicit, duos Caesares fratres, Gaium et Lucium, significat: ex quibus Lucius et consul et censor fuit; Gaius aedilicius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio eius cum Sulpicio tribuno fuerit.* item Cicero, *Tusc.* V 55 distincturus fratres Caesares praenominibus separavisse contentus est. *De off.* I 108 C. *Caesare L. filio* Cicero addit patris nomen distinguendi causa. ibid. I 133 ut Caesar ille certiore significato ab aliis Caesaribus discernatur, vocatur *Caesar, Catuli patris frater* (cf. Realenc. XIII 2072,44 et 2082,33 s.). tantum a fuit, ut Cicero *Strabonis* cognomine Caesarem magistrum suum vocaret, ut *Vopiscum* eum *Philipp.* XI 11 cognominaret, ne cum dicatore confunderetur; atque idem Varro quoque fecit (cf. supra p. 6). quodsi tam Cicero quam Varro, ubi *Strabonem* exspectes, *Vopiscum* dicunt, quis credat viros illos litteratissimos colentesque memoriam Caesaris eminentis in litteris ad privatum agnomen *Vopisci* refugituros fuisse, si *Strabonis* cognomen publicum et sollemne ad manum fuisset?

Cum Augustus a. 2 ante Chr. aedem Martis Victoris in foro suo dedicavit, *proximum a dis immortalibus honorem memoriae ducum praestitit* (Suet., *Aug.* 31); statuas aeneas triumphatorum Romanorum nec non et proavorum gentis Iuliae erexit singulisque statuis titulos subdidit, ut honores et acta singulorum dinoscerentur (cf. St. A. Huribut, „A Roman Hall of Fame“, *Classical Weekly* XIII, 1920, p. 162 ss. et Baumeister, „Denkmäler d. kl. Altertums“ III p. 1470). ubi inter *tot Iuleae nobilitatis avos*, quos Ovid., *fast.* V. 564 stupet, etiam Caesar aedilicius fuit, cuius elogium in pariete quodam iuxta forum Augusti repertum saeculis XV et XVI saepius descriptum est; itaque de textu supra p. 9 dato constat. verum nemo nescit, quam plenum periculosae aleae opus fuerit, ἀνιστορησάν vitare in recuperandis imaginibus et elogiis proavorum, quorum

memoriam non nisi studio antiquitatis diligentissimo renovare licuit. Cicero quidem queritur *ad Att.* VI 1, 17 *de statua Africani . . . ain tu? Scipio hic Metellus proavum suum nescit censorem non fuisse? . . . at mehercule ego, cum in turma inauratarum equestrium, quas hic Metellus in Capitolio posuit, animadvertissem in (Scipionis Nasicae) Serapionis subscriptione Africani imaginem, erratum fabrile putavi, nunc video Metelli. ο ἀνιστορησῶν turpem!* (cf. Realenc. IV 1504,10 ss.). sic Augustus quoque, cum praestantissimum quemque gentilium honoribus et cognominibus propriis insignitum quiritis ante oculos positurus erat, non poterat non quaestionibus περὶ ὁμωνύμων inquietari ex parte molestissimis. quae molestia praesertim circa eos proavos ingruerat, qui eadem nomina tria, quae Divus Iulius, C. *Iulius Caesar*, tulerant. itaque principis erat, libertis a studiis mandare, ut cognomina Gaiorum Caesarum obliterata ex antiquioribus litteris resuscitarent. qua tamen in re passus est Augustus idem, quod passum esse Senecam philosophum Quintilianus aegre fert *inst.* X 1,128 *cuius et multae alioqui et magnae virtutes fuerunt, . . . plurimum studii, multa rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab his, quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est.*

Errori foedissimo liberti Augustei cognomen *Strabonis* in titulo deberi mihi astipulaberis, si causam erroris detexero. in Ciceronis *Verrinis*, quas lectitatas etiam sub Augusto fuisse papyrus Iandana V (1931) Nr. 90 illustrat, commemoratur actio *Pro Sardis* C. Caesaris poetae et oratoris, in qua hic cum Cn. Pompeio Strabone, patre triumviri concertaverat. cf. Cic., *In Caec. divin.* 63 *atque ille Cn. Pompeius ita cum C. Iulio contendit ut tu, (Caecili) mecum; quaestor enim Albuci fuerat (Pompeius) ut tu Verris. Iulius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat, quod, ut hoc tempore nos ab Siculis, sic tum ille ab Sardis rogatus ad causam accesserat. iam vero ad nomen Cn. Pompeius, quod in una eademque sententia et linea atque C. Iulio legitur, in margine voluminis Tulliani ab Augusti liberto adhibiti glossa adscripta fuit: Strabonem dicit. quam glossam libertus ad nomen C. Iulio rettulit, ac non, ut debuit, ad Cn. Pompeius.*

Cuius generis glossam marginalem exemplari Augusteo *Verrinarum* adscribo, id genus glossa traditur reapse ad eundem locum *Verrinarum* apud Ps.-Asconium, *In Caec. divin.* 63 p. 203,18 Stangl: *Strabonem autem dicit Pompeium, Cn. Pompei patrem.* scholia Ps.-Asconii ex marginalibus

glossis originem ducere in commentarium collectis dudum Madvig vidit; quem commentarium e Servii, commentatoris Vergiliani, officina profectum esse Thilo, *Serv.* I p. XXXI statuit. nec fugit doctos, hanc glossam historicam de *Pompeio Strabone* a congerie admodum vili rhetoricarum et grammaticarum glossarum, quibus Pseudasconii commentarius constat, mirum quantum differre. Stangl quidem l. l. eam glossam e vetere Commentario ortum trahere diserte adnotat.

Asconius, quem cognomen *Strabo* C. Caesaris ignorare p. 10 et p. 12 vidimus, Cn. Pompeium, Magni patrem duobus locis *Strabonem* cognominat: *In Pisonianam* p. 12,18 Stangl *Cn. Pompeius Strabo, pater Cn. Pompei Magni, Transpadanas colonias deduxerit* et *In Cornelianam* p. 61,31 St. *Cn. Pompeio Strabone L. Porcio Catone* *cons.* ideo autem Magni pater *Strabo* vocatus est, quia limis oculis erat; quem a vitio oculorum cognomen accepisse, luculentus testis est Plinius, *nat. hist.* VII 54 (Realenc. XXI 2254,15 ss.). omnino apud Romanos vocabulum *strabo* numquam in hereditarium cognomen abiit (Realenc. 2. Reihe IV 75,26 ss.). Cn. Pompeius, Gnaei Strabonis filius, dumtaxat adulescens, cognomine carebat. demum a Sulla ex testimonio Plutarchi, *Pomp.* 13 *Magnus* cognominatus est. praeterea cf. Horat., *serm.* I 3,44 *strabonem appellat paetum pater*; quem ad locum Porphyrio scholiasta adnotat *strabo: detortis qui est oculis; paetus: leniter declinatis*. alia de ea re testimonia praebent Cic., *nat. deor.* I 80; Plin., *nat. hist.* XI 150.

Augustus, cum gentili suo C. Caesari cognomen *Strabo* imposuit, non modo errori liberti succubuit, sed etiam insciens auctor rei ridiculae factus est. nam cum Caesarem ut *strabonem Straboni* Pompeio aggregavit, par nobile oratorum fecit, qui in actione forensi *de Sardinis* concertantes oculis non paetis, quales Veneris esse ferunt, sed limis et detortis obtutum in adversarii acie figere frustra temptabant. „*spectatum admissi risum teneatis amici*“.

Quam retardati ab agendo et colloquendo homines strabones Romanis esse visi sint, docet Cicero, *De orat.* III 221 de Roscio comoedo strabone locutus: *in eo autem ipso (i. e. ore) dominatus est omnis oculorum; quo melius nostri illi senes, qui personatum ne Roscium quidem magnopere laudabant. animist enim omnis actio, et imago animi voltus indices oculi. Roscius teste Cic., De nat. deor. I 79 perversissimis oculis erat. unde primus in scaena personam induisse ori traditur; cf. F. Leo, Herm. 49 (1914) p. 167,3.*

Castigatis cognominibus C. Caesaris, poetae et oratoris, *Sesquiculo*, *Vopisco*, *Strabone* id efficitur, ut appellatio *C. Caesar* apud Suetonium in *Donati Vita Terentiana* tradita pari iure ad Ciceronis magistrum quam ad Divum Iulium referatur. praeter decades locorum, quibus vel ante Augustum vel post eum poeta et orator *Iulius*, aut *C. Iulius*, *Caesar* aut *Iulius Caesar* nominatur, in ipsa appellatione. *C. Caesar* acquiescunt Cicero, *Tusc.* V 55 (cf. p. 2), Val. Max. V 3,3 (cf. p. 11), Asconius, *In Scaur.* p. 26,24 Stangl (cf. p. 12) et *In Corn.* p. 53,20 St. (cf. p. 10), Quintilianus, *Inst.* VI 3,75 et 91 (cf. p. 38), Suetonius, *Cal.* 60 (cf. p. 10).

DONATUS-SUETONIUS *Vit. Terent.* cap. 7 p. 33 ss. Reiferscheid, p. 8 s. Wessner:

„Hunc Afranius quidem omnibus comicis praefert scribens in Compitalibus: Terenti num similem dicetis quempiam?

Volcacius autem non solum Naevio et Plauto et Caecilio, sed Licinio quoque et Atilio postponit.

Cicero in Limone hactenus laudat:

tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
 conversum expressumque Latina voce Menandrum
 in medium nobis sedatis (m)o(t)ibus effers,
 quiddam come loquens atque omnia dulcia dicens, ...

item C. Caesar:

tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
 poneris, et merito, puri sermonis amator.
 lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis,
 comica ut aequato virtus polleret honore
 cum Graecis neve hac despecta ex parte iacere(t).
 unum hoc maceror ac doleo tibi deesse, Terenti.

Haec Suetonius Tranquillus“.

3. De latinitate eclogae C. Caesaris

Textus traditus eclogae egregie ad Caesarem poetam Sullanae aetatis quadrat, ad dictatorem non item. allocutionem scurrilem *o dimidiate Menander* peculiariter illum decere demonstravi p. 2 ss. accedit v. 6 *unum hoc maceror ac doleo tibi deesse, Terenti*, ubi hendiadyoin *maceror ac doleo* dictatori tribui nequit. quae figura rhetorica cum sic constituatur, ut vocem *maceror* i. q. „excrucior“ valentem verbum tritum *doleo*

excipiat, tota dictio frangitur ac tenue quiddam et exile sapit. ista est ea *lenitas*, quam Cicero, *Brut.* 177 in tragoediis et orationibus quibusdam C. Caesaris vituperat. *maceror doleo* legitur apud Plautum quoque *Cist.* 59 s. *med excrucio, mea Gymnasium, male mihi est, male maceror, doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab aegritudine*. quodsi veteris poeseos scaenicae asseclae Caesari locus Plautinus in memoria haesit, imitatio male ei cessit.

Locupletissime quid obstat, quominus dictatori figura *maceror ac doleo* tribuatur, exposuit Ritschl apud Reifferscheid, Suet. rel. p. 527: „Ut non mirer, si quis apud Suetonium secundo loco positum multo exilius *doleo* verbum ex interpretamento repetere Caesarique *unum hoc maceror, hoc crucior* tribuere animum inducat. verum is tamen vix habebit, cur illum tanto animi affectu tamque concitato genere loquendi usum esse in tam leni et simplici caussa dicat. nam ut ad perfectae artis et praestantiae exemplar aliquid deesse Terentio iudicaretur, vel *unum hoc doleo* dici satis erat: potuit haud dubie aliquanto fortius etiam *unum hoc maceror* vel *unum hoc crucior* dici: sed nimium erat profecto et prope putidum vel *hoc doleo, hoc maceror* vel adeo *hoc maceror, hoc crucior*“.

Ritschl igitur sub *C. Caesare* dictatorem intellegens, diffidebat merito textui tradito; condonandum sane ei est, quod immemor C. Caesaris, scaenici poetae, tumorem inanem figurae rhetoricae e textu coniectura *aureolo* pro *ac doleo* temptata removendum esse putabat. qui suo iure id maluit facere quam dictatorem, urbanitatis vindicem infamare, cuius de consuetudine inaffectedata et paene nuda constat. post Ritschelium autem *maceror ac doleo* magno cum acumine in diversum euntes tractarunt critici probati J. P. Postgate et J. S. Phillimore. *Class. Review* 30 (1916) p. 189 et 31 (1917) p. 21 et 46; cf. etiam *ibid.* 29 p. 172. quorum doctorum commentationes qui attento animo legerit, a dubitatione omni solutus profitebitur, *maceror ac doleo* indignum loquela dictatoris esse, nec tamen coniectura posse expelli.

Iam vero ultra Ritschelium “Ritscheliano” Thesauro I. L. VIII p. 8,35 erudimur, deesse *macerandi* vocabulum ut apud Ciceronem, tam in versibus quam in prosa, sic apud Caesarem. quod cur desit, ratio in promptu est. nempe in proprio usu, qui multo latius patet quam translatus de animo, *maceror* antiquitus termino technico fungitur agriculturae et rei coquinariae. unde rus olet verbum et culinam. quocirca illis vocabulis *maceror* addendum est, quorum ab usu urbanitas sciens abstinuit. *verborum delectum originem esse eloquentiae* Caesar dictator ex testimonio Ciceronis, *Brut.* 253 confessus est. atque ingenue

fateor, me ad verum auctorem eclogae Suetonianae relegendum inde venisse, quod latinitas versus ultimi oculos mihi aperuit.

Ceterum Vergilius quoque *macerandi* verbum vitavit; in prosa translatus usus demum a Livio incipit. contra Caesari poetae scaenico *macerari* praeclare convenit. cuius vocabuli translate adhibiti sedes domestica vetus ars scaenica est; in Plauto et Terentio iterum atque iterum occurrit; accedunt Pacuvius et Afranius, quos aevi antiquioris poetas consequitur Sullanae aetatis poeta C. Caesar.

V. 5 inter editores ambigitur, utrum recensio *hac despecta ex parte iacere(t)* (*comica virtus*) accipienda sit, an altera *hac despect(us)* [*ex*] *parte iaceres* (*Terentius*). prior recensio propius a vetustissimo codice Parisino saec. XI abest; a quo non differt nisi pro *iaceres* scripto *iaceret*, quae emendatio primum in editione principii Donati Romana anni 1472 occurrit. altera recensio a Calphurnio temptata *despectus parte* mihi Sullanae aetatis poetae eclogam tribuenti vel ideo spernenda est, quia cum prosodia et arte metrica antiquiore parum congruit. secundum enim legem Havetianam syllaba ultima vocabuli *despectus*, utpote quae brevis in *-s* desinat, ante consonam in thesi longa non fit. quam legem Havetianam etiamsi exceptiones admittere F. Leo, „Plaut. Forsch.“² p.328,3 statuit, tamen in Ennio quidem nihil repperi nisi *Ann.* 216 Vahlen *nec dicti studiosus quisquam erat ante hunc* et verum salebrosam a Buecheler, *Kl. Schr.* III p.396 tractatum *Ann.* 304 *ore Cethegus Marcu(s) Tuditano collega*; quibus in versibus syllaba ultima vocabulorum *studiosus* et *Cethegus* insolenter in thesi produciuntur.

Ad consuetudinem Sullanae aetatis quadrat, quod v. 4 *polleret honore* vocalis ante *-t* corripitur; hoc iam Ennius in clausula heroici fecit *Ann.* 222 *potesset in armis* (at ibid. 83 *esset induperator*). item legitime v. 6 *maceror* in brevem syllabam exit; terminatio verbalis *-or* iam apud Lucilium ubique corripitur, sic v. 554 *fruniscor ego ac tu*.

4. De argumento eclogae C. Caesaris

Ut latinitas sic argumentum rhetoricum eclogae a dictatore alienum est, idem singulariter convenit Sullanae aetatis Caesari poeticam cum arte oratoria copulanti. quicumque autem communi errore detenti sub C. Caesare dictatorem intellexerunt, eorum erat, res duas probare, quae probari nequeunt.

alterum erat, ut dictatorem litterarum Romanarum sane potentissimum Terenti palliatae aliquid dedisse evincerent; alterum, ut nobis persuaderent, dictatorem in artis rhetoricae problematis habitantem epigrammate parodico Ciceronem vituperavisse, ut qui in syncrisi Menandri et Terenti laudibus Terenti modum excesserit. termini technici rhetorum in ecloga occurrunt v. 2 *puri sermonis*, v. 3 *lenibus scriptis*, ibid. *vis* in usu absoluto, v. 4 *comica virtus*. quos terminos dictatori ad manum fuisse nemo negat. at sub iudice id est, num Caesaris fuerit, qui Ciceronis auctoritatem in litteris magnam habuit, eiusdem iudicium de Terentio intenta opera ad obrussam exigere. mirum autem fit, ut istis, qui Caesarem sagacitate scholastica de arte Terenti cum Cicerone litem conseruisse volunt, in mentem non venerit, eundem Caesarem Ciceronis carmen aliquod sibi missum vellicavisse et vitavisse in vellicando usum omnem terminorum rhetoricorum.

Cicero carmen epicum de expeditione Britannica Caesaris, incitatus epistulis Quinti fratris, legati Caesaris, instituerat, quo carmine volumina plura impleturo gloriam imperatoris celebraturus erat. ipse autem Marcus de hoc opere multus est in epistulis ad fratrem missis; cf. inter locos alios *Ad. Qu. fr. II 13 (15a) 2 tu scribis poema ab eo (Caesare) nostrum probari*. iam vero Cicero curis publicis detentus renuit stare promissis; cf. ibid. III 1,11 *poema ad Caesarem, quod institueram, incidi*. ibid. III 5/6,3s. *quod me de versibus faciendis rogas, incredibile est, mi frater, quam egeam tempore. . . . opus est ad poema quadam animi alacritate, quam plane mihi tempora eripiunt*. atque etiam de ea re Marcus nos certiores facit, quo cum iudicio Caesar poematis illius partem primam sibi missam legerit *Ad Qu. fr. II 15 (16),5 quomodonam, mi frater, de nostris versibus Caesar? nam primum librum se legisse scripsit ad me ante et prima sic, ut neget se ne Graeca quidem meliora legisse; reliqua ad quendam locum βαθυρότερα; hoc enim utitur verbo. dic mihi verum. num aut res eum aut χαρακτήρ non delectat?* Caesar igitur laudibus Ciceroni concessis immiscuit reprehensionem. at in hac reprehensione nec vola nec vestigium est eruditionis rhetoricae, qua abundasse Caesarem ii sibi persuadent, qui vulgatam sententiam de auctore versusum a Suetonio traditorum secuti Ciceronem corrigi a Caesare existimant. immo quo vocabulo βαθυρότερα Caesar Ciceronem vituperans usus est, id nullo alio sensu adhibuit quam eo, quo Aristoteles, *Περὶ ζῳῶν γενέσεως* IV 1 p.764a 12 de Empedocle dixit τοῦτο γὰρ ὡς ἀληθῶς Ἐμπε-

δοκλῆς βραδυμότερον υπείληφεν „hoc enim Empedocles negligentius opinatus est“. graecum βράδυμος morale quid sonat, nec numeratur inter terminos rhetoricos. adeo autem Caesar in colloquio per epistulas cum Cicerone de rebus poeticis habito rhetoricen respuit, ut, cum χαρακτηρ quinam sit versuum suorum Cicero rogaverit, Caesar tacuerit.

Non, si in arte grammatica libris *De analogia* Ciceroni dedicatis Caesar nomen meruit, idcirco in contemplativa arte rhetorica versatus est. verissime Otto Iahn et W. Kroll in commentario ad Cic., *Brut.* 253 docuerunt, Caesarem in opere illo nil nisi puritatem sermonis latini curasse nec deflexisse ad problemata rhetorica. atque adeo fragmenta librorum *De analogia*, quae plurima nobis servantur, ad unum omnia declinationem verborum aliasque quaestiones mere grammaticas spectant.

Quocirca ea quoque, quae Cicero in Puteolano de sermonibus cum Caesare hospite habitis anno 45 scripsit *Ad Atticum* XIII 52,2 σπουδαῖον οὐδὲν in sermone, φιλόλογα multa, ad quaestiunculas grammaticas referenda sunt. Pompeius Magnus, cum cos. III anno 52 aedem Victoriae dedicavit, Ciceronem teste Gellio X 1,7 rogavit, utrum *consul tertio* scribendum esset, an *tertium*. sic Caesar quoque recte loquendi curiosus, quotiens cum Cicerone familiariter colloquebatur, de minutis grammaticis eum adibat. — cf. etiam *Ad Att.* VII 3,10: *venio ad „Piraea“, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus „Piraea“ scripserim, non „Piraeum“ . . . quam quod addiderim „in“.*

Sunt igitur quae dissuadeant, ne Caesar pro critico Ciceronis habeatur artem Terenti scholastice castigante. sequitur, ut relicto Cicerone quaeratur, num Caesar animo propenso erga Terentium fuerit aut saltem generatim locum aliquem auctoribus palliatae vel togatae, interpretibus latinis Menandri in studiis suis concesserit. velut Cicero, *Epist.* IX 16,4 narrat, Servium Clodium, Aelii Stilonis generum facile dicere: *Hic versus Plauti non est, hic est*; at etsi eodem loco Caesari peracre iudicium in discernendis auctoribus tribuitur, is tantum de apopthegmatis contemporaneorum iudicavisse fertur. inter ludibunda genera poseos scaenicae Romanorum Mimus tantum iocis de improvise factis Caesarem delectabat. Laberium in scaena spectabat, Syrusque mimographus productus Romae est per Caesaris ludos ex testimonio Macrobiani, *Saturn.* II 7, 7.

Quid? nonne Menandrum ipsum interpretibus latinis Menandri Caesar praetulit? quae voluntas eius in hunc Graecorum comicum fuerit, eo cognoscitur, quod in transgressu Rubiconis apopthegma ex illo oriundum exclamavit: ἀνερρίφθω κύβος. quod genus apopthegma ab alea tractum cum tam graece apud Graecos quam latine apud Latinos vulgatum fuerit, Caesar tamen patrio sermone spreto graece dictum evomuit, Menandri hemistichium ad verbum reddens.

Nimirum in litteris graecis praeter ἀνερροφῶ κῶβος etiam ἀνέρριπται κῶβος inde ab Aristophane comico et Critia tragico in usu fuit. apud Latinos autem Titinius, togatae auctor nobilis, in fabula, cui *Tibicina* inscripsit, *Auletridis* fabulae Menandreae versum: δεδογμένον τὸ πρᾶγμα, ἀνερροφῶ κῶβος latine reddidit: *decreta res est, aleam iactam volo*; cf. quae Paideia, Rivista letteraria VII (1952) p. 269 ss. exposui, fragmentum novum Titinianis adiciens. ex quo versu Titinii in breve contracto Romanorum vox proverbialis nata est: *iacta alea est*. quo dicto populari Romanorum Suetonius, *Iul.* 32 refert Caesarem in ponticulo Rubiconis usum esse; qua tamen in re biographum memoria fefellit. nam Plutarchus, *Pomp.* 60 diserte testatur, Caesarem coram intimis graece loquendo in vocem ἀνερροφῶ κῶβος erupisse.

Ad summam licuit Caesari apothegmate latino uti, quod apud Suetonium legitur *iacta alea est*, ex arte scaenica vetere Romanorum originem repetente. fabulae togatae, quae in Menandro compilando cum Terentio de palma certant, etiam Caesaris tempore in scaenam prodibant. Afranii *Simulans* anno 57 in urbe actam esse Cicero, *Pro Sestio* 118 testatur. at Caesar relictis in scriniis palliatae et togatae scriptoribus latinis maluit Menandrum ipsum legere quam contaminatores latinos eius. nec vero in libris Caesaris, ne in fragmentis quidem, operum admodum variorum reliquiis, ullo loco Terentius commemoratur.

E contrario C. Caesar orator et poeta vinculis strictis cum Terentio iungitur. nam circa annum 130 natus, Gracchorum aetate adulescens, Terenti fabulas retractatas in scaena vidit. quae fabulae per decennia annum, quo Terentius obiit 159, sequentia passim denuo in scaenam prodibant (cf. F. Leo, „Gesch. d. R. Lit.“ p. 258 et G. Jachmann, *Realenc.* 2. Reihe V 607). accedit quod tragoediarum scriptor Caesar elegantiam senariis et quadratis induendam lectione Terenti imprimis discere potuit; inde exemplaria eius manu diurna et nocturna versavisse existimandus est. praeterea termini rhetorici *comica virtus*, *vis*, *lenia scripta*, *purus sermo* in ecloga Suetoniana Caesaris a perito adhibentur; quae supellex oratoria decet poetam, qui idem orator fuit, quin inter ea capita fori claruit, quae Cicero cupide audiit. denique id quod iudicium Caesaris Suetoniani de arte Terenti in diversum spectat, ab altera parte secundissimum est, siquidem *puri sermonis amator* Terentius praedicatur, ab altera parte adversum, siquidem *vis* et *comica virtus* in eo desiderantur, id Caesare Sullanae aetatis pro auctore eclogae habito facile inde explicatur, quod provector aetate cum legebat Terentium, puro sermone delectabatur, idem cum adulescens spectabat fabulas, risu parum rumpebatur. etenim marcet comoedia, si cachinnis destituitur.

Restat, ut breviter ad id oculos derigamus, quod Caesar Suetonianus Terentium *lenitatis* nimiae arcessit. nam fit, ut idem scriptor, qui in Terentium invehitur v. 3 *lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis*, ab eodem vitio laborare Ciceroni videatur, *Brut.* 177 *sunt autem aliquot orationes (Iulii), ex quibus sicut ex eiusdem tragoediis lenitas eius sine nervis perspicui potest.* qua tamen ex re effici nequit, ut magister Ciceronis pro auctore eclogae Terentianae habendus non sit. immo si quis interrogat, quanam probabilitate scriptor lenitati nimiae ipse obnoxius alteri lenitatem nimiam exprobraverit, Iuvenalem audiat, *Sat.* 2,24 *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?* item velim memor sis sobriae sapientiae auctoris *Epit. de Caes.* 1,23 p. 135 Pichlmayr *more hominum, qui in ulciscendis vitiis, quibus ipsi vehementer indulgent, acres sunt.* aut ain, Caesarem Sesquiculum, caput confidens et arrogans, se continuisse tali modestia, qualem suadet Publilius Syrus, *Sent.* E 4 Meyer *ex vitio alterius sapiens emendat suum?* aut de cohortatione morali cynicorum aut de caelo descendit Vulg. *Matth.* 7,3 *quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* — Denique quod Caesar de *lenibus scriptis* Terenti loquitur, in eo nemo haerebit, nisi qui immemor sit ipsius Terenti de lenitate loquentis *haut. prol.* 45 *si lenis est, ad alium defertur gregem* (cf. Iachmann, *Realenc.* 2. Reihe V 643).

5. Cicero Caesarem Sesquiculum Terentiomastiga corripit, non Caesar dictator Ciceronem

Causam simplicem oculisque omnium se ultro ingerentem, cur Caesar dictator Ciceronem paullo benignius de arte Terentii locutum reprehensurus fuerit, nemo adhuc protulit. suo autem periculo periti artis rhetoricae id egerunt, ut significationes singulorum terminorum in ecloga Caesaris occurrentium accuratius persequentes expiscarentur, qua ex parte Cicero de Terentio iudicans Caesarem dictatorem incendisset. commentatio sagacitate et eruditione excellens, quam Wolfgang Schmid, *Mus. Rhen.* 95 (1952) p. 229 ss. „Terentius als Menander latinus, Zur Wiedergewinnung und Neuinterpretation Caesarscher Verse“ evigilavit, ad historiam artis rhetoricae melius cognoscendam fructuosa remanet. at ne id quidem interpretibus loci Suetoniani evincere contigit, Ciceronis et Caesaris eclogas ab omni parte inter se differre. immo lustris novissimis caterva

eorum interpretum in maius crevit, qui verba *item C. Caesar* in Suetonio obvia tamquam a scholiasta hariolante in margine addita expunxerint, ita ut unum tantum Ciceronis poema decem versuum nasceretur. qui quidem in hanc sententiam ierunt, eos recensuit W. Schmid, l. l. p. 229; 253; 271; quibus accessit H. Haffter, Mus. Helv. X (1953) p. 4.

Meum igitur est, adversus duas frontes stare. parum sufficit eos refutasse, qui Caesarem dictatorem habuisse volunt, cur Ciceronem vellicaret; quorum temptamina in cassum reciderunt, cum tam latinitatem quam argumentum eclogae Caesareae ad dictatorem parum quadrare demonstraverimus. at iam ii quoque refellendi sunt, qui textui Suetoniano vim inferunt flosculum *item C. Caesar* delentes.

Primus L. Herrmann, „César ou Cicéron?“ (Musée Belge 34 p. 243 ss.) suspicatus est, scholiastae cuidam sciolo, qui apud Suetonium intra versus decem allocutionem *tu quoque* iteratam legerit, in mentem venisse Caesarem dictatorem, qui post aliorum coniuratorum plagas a Bruto quoque pugione ictus exclamaverit: „tu quoque fili“. at eius generis apopthegma nulla auctoritate in antiquitatis litteris latinis fruitur. quae testimonia vocis postremae Caesaris moribundi feruntur, ea tantum graece Brutum a Caesare alloquendo petitum esse narrant; cf. Suet. *Iul.* 82 *tradiderunt quidam, Marco Bruto irruenti dixisse: καὶ σὺ τέκνον.* Dio 44,19,5 ἤδη δέ τινες καὶ ἐκεῖνο εἶπον, ὅτι πρὸς τὸν Βροῦτον τὸν ἰσχυρῶς πατάξαντα ἔφη: καὶ σὺ τέκνον. hoc igitur apopthegma graecum, cum ab usu cottidiano sermonis latini alienum remanserit, parum idoneum erat, ut scholiastae *tu quoque* apud Suetonium legenti *Caesarem* in mentem vocaret. praesertim is textus Suetonius, quem Herrmann scholiastam ante oculos habuisse vult, *Caesaris* nomine ex ipsius Herrmanni coniectatione caruit. iam vero *tu quoque* solitarium sine *Caesaris* nomine relictum ad Caesarem ducere scholiastam non potuit. nimirum tritissimum alloquendi genus apud Latinos *tu quoque* est; verbi causa cf. Cic., *Tusc.* II 49 *tu quoque, Ulixes; Nat. deor.* III 46 *tu quoque, Balbe; Ovid., Am.* III 9,63 *tu quoque, . . . Galle.* somniosus igitur Herrmann, qui ipse iuxta *tu quoque* nomen *Caesaris* in Suetonio legit, suam occasionem hariolandi scholiastae supposuit ab ansa hariolandi vacuo. merito igitur Henrica Malcovati, „Cicerone poeta“ (Pavia 1943) p. 245 adn. illud Herrmanni „bizarro tentativo“ increpuit.

Ceterum Caesar irruentem Brutum allocutus omnino non est. tam Suetonius quam Dio auctoritatem apothegmatis καὶ οὐ τέκνον dubiam ducunt, quod Plutarchus, *Caes.* 66 et *Brut.* 17 ignorat (cf. Realenc. X 257). aut fallor aut a rhetore graecissante, qui Romae sub Augusto vel Tiberio declamavit, ortum traxit, temporibus *Controversiarum* Senecae ideo ascribendum, quia imitatio apud Suet., *Galb.* 4 occurrit: *constat Augustum puero (Galbae) . . . dixisse: καὶ οὐ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρῶξῃ.* nec vero A. Otto, „Die Sprichwörter u. sprichwörtlichen Redensarten der Römer“ (1890) ullo loco *tu quoque* memoravit. Buechmann, „Geflügelte Worte“²⁴ (1910) p. 469 s. tantum propter Shakespeare *tu quoque* in syllogem recepit.

Si verum vis, *tu quoque*, *Brute*, quod Herrmann scholiastam antiquum corde memori volutavisse sumpsit, demum in latinitate moderna litterarum renascentium fictum est. quod primum occurrit in Universitatis Oxoniensis exercitationibus scaenicis a discipulis collegii latini anno 1582 habitis. cf. „Shakespeare, ed. Deutsche Shakespeare-Gesellschaft“ V²p.4: Es hat sich . . . eine Nachricht erhalten, daß an der Oxforder Universität im J. 1582 ein von Richard Cedes verfaßtes lateinisches Stück von Caesars Tod zur Auf-führung kam. . . . Man darf überhaupt wohl annehmen, daß die theatralischen Schul-Übungen jener Zeit ihren Stoff nicht selten der Geschichte Caesars entlehnten; selbst Sh. führt darauf, indem er Polonius erzählen läßt, wie er einmal auf der Universität den römischen Helden gespielt und von Brutus auf dem Capitol umgebracht sei; aus dergleichen Aufführungen, wenn nicht unmittelbar aus der Schulklasse mag auch einzelnes wie z. B. die Frage *Et tu, Brute?*, die selbst der des Lateinischen unkundige Herausgeber der True Tragedy sich zu Nutze macht und die dann auch in Sh. Tragoedie übergang, zum geflügelten Wort geworden sein.“ — De formula *et tu* (οὐτῶ δὲ καὶ οὐ) tritissima in litteris monuit etiam, Eduardum Fraenkel secutus, R. Merkelbach, *Mus. Rh.* 99 (1956) p. 126 adn. 72.

Iam vero tempus est, ut meam ipse sententiam de ratione explicem, qua binae illae eclogae Suetonii, quarum utraque a *tu quoque* incipit, secum cohaereant. qua in re ab eo exordior, quod Ciceronis versus quattuor fragmentum tantum periodi faciunt, non plenam periodum. truncam remanere eclogam Ciceronis monuit etiam certus iudicii C. Buechner, *Realenc.* 2. Reihe VII 1258,43. vocativo *tu quoque* . . . adhaeret enuntiatum relativum inde a v. 1 usque ad v. 4 decurrens. post autem finitum enuntiatum relativum desideratur verbum, quod ad v. 1 *tu quoque* . . . *Terenti* spectans periodum compleat. itaque ut in textu Suetoniano carmen inceptum Ciceronis ex incisa periodo in integram subauditione saltem crescat, assumenda est sententia, qualis ex Caesaris versuum Tullianos excipientium primo et altero: [*tu quoque, tu*] *in summis* [*o dimidiate Menander*] *poneris* [*et merito*] *puri sermonis amator* coalescit: *poneris in summis, puri sermonis amator*. isti autem interpretes, qui in textu Suetoniano verba *item C. Caesar* delent ad coniecturam Herrmanni quamvis lubricam refugientes, in eo quidem recti quid sentiunt, quod mancam Ciceronis periodum versibus apud Suetonium sequentibus in auxilium vocatis integram reddere

nituntur. verum qui in tantum procedunt, ii in eo maxime offendunt, quod quaerere supersedent, num Ciceronis fuerit, irrisione salsa o *dimidiate Menander* auctoritatem latini poetae Terentii frangere. immo Cicero totus in eo spirabat, ut aequaret pro virili parte Menandro Terentium virtutibus propriis splendentem, cuius rei vel prior ecloga Suetoniana testis luculenta est.

Pro contemporaneo Ciceronis Caesare Ciceronis magistro reposito, quem Cicero tam venerando coluit, quam erat ubi corrigeret, dicto citius intellegitur, quae ratio inter binas eclogas a *tu quoque* incipientes intersit. quod moleste ferimus, imperfectum reliquisse Ciceronem poemation, perfectum non futurum nisi Caesaris poetae verbis respectis *poneris in summis*, id eo declaratur, quod Cicero in *Limone*, opere miscellaneo, eclogam magistri lectoribus proposuerit suspiciendam ex parte quadam. nam volente Cicerone in *summis* Caesar Terentium posuit, quem Volcacijs non solum Naevio et Plauto et Caecilio, sed Licinio quoque et Atilio postposuerat. simul autem Cicero magistrum corrigebat, cuius acetum acerbum o *dimidiate Menander* extinctum vel ideo voluit, ne ipse exemplaribus Graecis inde a libris rhetoricis *De inventione* usque ad philosophicos *De officiis* magnopere obligatus ab invidiosis „o dimidiate Pan-aeti“ aut simili invectione laederetur. paene autem epistolari breviloquentia usus, qui stilus ellipsin verbi passim patitur, currente calamo Cicero versus suos versibus magistri pro capite obtrusit incuriosus perficiendae periodi. nempe cum allocutionem vocativam *tu quoque*, ex qua ecloga magistri incipit, intactam reliquit, immo laudationem suam Terenti ab eadem allocutione vocativa incipere iussit, Cicero ultro indicavit, ad finem *poneris in summis* suos quoque versus spectare. at plura in magistro corrigere abstinuit, contentus ea extersisse, quae ut extergeret opus erat ad suam ipsius auctoritatem sustentandam, qui vinci Romanos a Graecis in arte litterarum omnino noluit.³⁾

3) De ellipsi verbi usitata Ciceroni praesertim in stilo epistolari cf. Madvig. Cic., *De fin.* (1839) p. 21 et 525. addo *Ad Att.* I 18,6 *Crassus verbum nullum contra gratiam.* II 12,2 *ille ex me, nihilne audissem novi. ego negare.* tota apodosis item ut in carmine Ciceronis Suetoniano desideratur *Ad Q. fr.* II 9,3 *Lucreti poemata, ut scribis, ita sunt, multis luminibus ingenii, multae tamen artis. sed, cum veneris, ubi post protasin sed cum veneris* subaudiendam apodosin esse *de ea re colloquamur* Fridericus Marx, Berl. philol. Wochenschr. 1891 p. 834 primus vidit, cui astipulati sunt praeter alios etiam F. Leo, Plaut. Forsch.² p. 39 adn. 3 et Wolfgang Schmid, Gnomon 20 (1944) p. 3. utilia ad hanc quaestionem etiam attulit

Peculiarem locum in aestimanda poesi antiquiore scaenica Romanorum Cicero occupat, diversum a reliquis criticis omnibus. qui in unoquoque genere litterarum Romanos artem Graecorum assequi sibi persuasit. in tragoedia Sophoclem Pacuvio cedere loco quodam *Niptrorum Tusc.* II 49 ait, cum Quintilianus modestius dixerit *Inst.* X 1,98 fabulam tragicam nullam Romanorum nisi Varii *Thyesten cuilibet Graecarum comparari posse*. ne de comicis quidem latinis iudicium in scriptis Tullianis simile ei invenitur, quod Quintilianus fecit *Inst.* X 1,99 in *comoedia maxime claudicamus*. quam rationem inter Graecos et barbaros intercedere *Epinomis* corporis Platonici p. 987 E vult: λάβωμεν δὲ ὡς ὁ τί περ ἂν Ἑλληγες βαρβάρων παραλάβωσι, κάλλιον τοῦτο εἰς τέλος ἀπεργάζονται, eandam rationem inter Romanos et Graecos intercedere Cicero nititur *Tusc.* I 1 *meum semper iudicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora*. *Brut.* 254 *quo enim uno vincebatur a victa Graecia, id aut ereptum illis est aut certe nobis cum illis communicatum*. Graecos autem ipsos vidisse, Ciceronem plurimum meruisse de litteris latinis ad gradum amplissimum adducendis, testimonium luculentum est Apollonii Molonis apud Plutarchum, *Cic.* 4 σὲ μὲν, ὦ Κικέρων, ἐπαινῶ καὶ θαυμάζω, τῆς δὲ Ἑλλάδος οἰκτεῖρω τὴν τύχην ὄρων, ἃ μόνα τῶν καλῶν ἡμῖν ὑπελείπετο, καὶ ταῦτα Ῥωμαίοις διὰ σοῦ προσγεγόμενα, παιδείαν καὶ λόγον.

Cicero igitur in Musarum certamine de Graecis triumphans in curru suo triumphali ut alios Latinos in aliis litterarum generibus, ita in comoedia Terentium Menandro comparem secum ducere avebat. ex hac doctrina ambitiosa Ciceronis, re omnibus nota, id explicatur, quod apud Suetonium bina carmina ab eodem flosculo *tu quoque* exordium sumentia signis ex adverso sublatis secum pugnant. nec vero eadem carmina usque ad debellandum inter se conflictantur exque parte secum consonant. concordia quaedam discors intercedit inter utraque carmina. discordia eo coercetur, quod Cicero ludificationem Terenti, qualem Sesquiculus ille sibi indulserat, suppressit, praeterea in puro sermone Terenti laudando vim multo maiorem quam Caesar posuit. concordia in eo apparet, quod ne Caesar quidem purum sermonem Terenti efferre neglexit; accedit consensus in re omnium gravissima, quod tam Caesar quam Cicero locum

Elio Pasoli, *Rivista di Filologia* 1955 p. 337 ss. qui recte sensit, *Ad. Att.* XIII 26, 2 *mittam tamen ad te exemplum fortasse Lanuvio, nisi forte Romam post Romam suppressisse Ciceronem venero*.

eundem Terentio in catalogo comicorum Latinorum assignant, nec palmam Caecilio ereptam Terentio concedentes, nec vero sedem dantes inter infimos ut Volcacius, sed inter *summos*. denique quod Caesar in vi et virtute comica Terentium Graecis cedere doluit, id Cicero toleravit. nimirum si tolerare negasset, nonne Caecilio spreto primum locum in catalogo comicorum Terentio dare debuit, ac non locum *in summis*?

6. De Suetonianis: „Cicero hactenus laudat” et „Item C. Caesar”

Suetonii vox Ciceronis versibus praeposita *Cicero hactenus laudat* tunc demum ad interpretationem ab omnibus scrupulis liberam pervenit, si Sullanae aetatis Caesar in locum dictatoris subrogatur et versus Tulliani pro initio novato eclogae Caesarianae esse ducuntur, quam Cicero, modo ut correctam, pro sua recipere non dubitaverit. nam qui condicionem peculiarem versuum Tullianorum a periodo incisa laborantium neglexerit, is nulla via offensionem vitare poterit, quam suo iure Harald Fuchs per litteras in publicum dedit Mus. Rhen. 95 (1952) p. 253 adn. 51: „Die Worte *hactenus laudat* verlangen eine stärkere Einschränkung des Lobes, als sie in den vier ersten Versen zum Ausdruck kommt.“ at restrictio ista fluxit ex textus Tulliani notitia Suetonii, qui *Limonem* ante oculos habens intellexit, intendisse Ciceronem, ut quattuor ipsius versus cum ecloga Caesaris in unum carmen conglutinentur. quocirca ex Suetonio ipso eiusque ex contextu *Vitae Terentianae* causa restrictionis, quae voci *hactenus* inest, repetenda est.

Totum caput VII *Vitae Terentianae* versatur in referendo ordine diverso, qui Terentio a criticis artem eius aestimantibus concedatur. primo loco Suetonius Afranium affert, qui Terentium summum comicum Romanorum esse iudicat: *Terenti num similem dicetis quempiam?* altero loco Suetonius Volcacium profert, qui summum comicum Caecilium habet, Terentium inter infimos numerat. tertio loco Suetonius Ciceronem et C. Caesarem affert, qui inter se consentientes Terentium in summis ponunt, nec tamen summum. hinc *hactenus* illud Suetonii.

Sequitur, ut eos quoque scrupulos diluam, quibus qui Suetonianum *item C. Caesar* legunt, obruuntur, cum post Terentium laudibus Tullianis sublatum insperato in *dimidiatum Menandrum* et *vi ac virtute comica* Graecis minorem Terentium incidunt. eadem autem causa, quae obstat, ne Ciceronis laus

uberior Terentii concordiam generalem inter Caesarem et Ciceronem disturbet — cuius concordiae ratio in Terentio ab utrisque criticis *in summis* habito consistit, — eadem causa Suetonio permisit, ut Caesarem maculas quasdam in arte Terentii aegrius ferentem nihilo minus voce *Item C. Caesar* versibus laudativis Ciceronis adnecteret.

Quandoquidem autem in ipso textu quattuor versuum Ciceronis diserta significatio ordinis Terentio in catalogo comicorum concessi desideratur, iam meum est, diligentius demonstrare, primatum comicorum Ciceronem noluisse Terentio tribuere, immo tantum *in summis* eum item ac Caesarem habuisse. nec vero inlitteratus Cicero ad artem Terentii ponderandam accessit aut nesciit *Caecilio palmam Statio do mimico* Volcacium clamavisse, cuius auctoritas apud posteros Gellio XV 24 teste multum valuit. quid Cicero de Caecilio senserit, discitur ex loco *De opt. gen. 2 itaque licet dicere et Ennium summum epicum poetam, et Pacuvium tragicum, et Caecilium fortasse comicum.*⁴⁾ quod vero Cicero particula *fortasse* ad *summum* addita vim laudationis suae paululo minuit, cur id fecerit, apparet ex *Ad Att. VII 3,10 Caecilius . . . malus . . . auctor latinitatis est*, et *Brut. 258 Caecilium et Pacuvium male locutos videmus*. quodsi apud Suetonium Cicero laudem urbanitatis Terentianae usque in id cumulavit v. 1 ss. *qui solus lecto sermone . . . Menandrum . . . effers*, usus epitheti *solus* ex syncrisi Terentii cum Caecilio, quae Ciceroni ante oculos observabatur, declarandus est.

Quid igitur est? urbanitate Terentii devinctus Cicero paene invitum Caecilio palmam concessisse videtur, attamen concessit. nimirum praepone Caecilio Terentium eo prohibebatur, quia grammaticorum, imprimis Varronis auctoritatem praeterire noluit. Varro in ethesin tantum Terentium praecellere iudicabat, in argumentis et affectibus movendis non item. immo in his partibus Caecilius ex omnium opinione primatum tenuit, Cf. Charisius, Gramm. I p. 241,27 K. *ἡδῆ ut ait Varro de lat. serm. l. V nullis aliis servare convenit quam Titinio, Terentio, Attae; πᾶθῆ vero Trabea, inquit, Atilius, Caecilius facile moverunt.* Nonius p. 374 M. (p. 596 Lindsay) *Varro Parmenone: in quibus partibus, in argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesin Te-*

4) Quod librum *De opt. gen.* a rhetore ambitioso compositum sub Ciceronis nomine in publicum missum esse A. Dihle, Herm. 83 (1955) p. 314 intendebat, tu vide Mus. Rhen. 98 (1955) p. 288.

rentius. Euanthius 3,5 p. 19 Wessner *Terentius temperavit affectum*.

Item autem ut Cicero v. 1 lecto sermone efferre Menandrum inter Latinos Terentium *solum* statuens, Caecilio detraxit, sic ex adverso expectandum est, ut doctrina grammaticorum nobilium, qui in affectibus movendis Caecilium Terentio antepone perstiterant, in versibus Tullianis quomodocumque tangatur. quocirca v. 3 ex codicum descriptione *sedatis vocibus* iusto iure *sedatis motibus* restituit Barth, cui astipulati sunt praeter alios Ritschl et Wessner. locutio *motus sedare* recurrit apud Ciceronem, *Tusc.* III 17 *motus animi . . . sedare*. habes igitur ultimam causam, cur Suetonianum *Cicero hactenus laudat* toleremus.

Testimonia vetera de arte Terenti collecta invenis: Reifferscheid, Suet. rel. p. 525; Leo, R. Lit.-Gesch. I p. 220 ss.; Wolfg. Schmid, Mus. Rhen. 95 (1952) p. 242.

7. Quo ex fonte Suetonius versus Ciceronis et Caesaris de Terentio hauserit

Suetonius *Vitae Terentianae* fundamenta iecit ex biographis et grammaticis aetatis Varronianae et Augusteae, quorum Fenestellam, Nepotem, Varronem, Santram, Cosconium nominat. meum autem est eruere, quae additamenta Suetonius ipse ex sua lectione amplissima ultra peculiare genus biographiae excedens biographis exeuntis liberae rei publicae adiecerit. antiquiorum auctorum laudantur ab eo Gracchani aevi scriptores cap. 4 *C. Memmius in oratione pro se*, de quo Memmio cf. Muenzer, Realenc. XV 604, 68 et 606, 62, deinde cap. 7 *Afranius in Compitalibus*; accedunt poemata didascalica Volcacii et Porcii Licini cap. 2; 3; 5; 7. claudunt agmen auctorum cap. 7 *Cicero in Limone* et *C. Caesar*. iam vero temporibus Suetonii litterae antiquiores, quae aetate argentea neglectae iacuerant, rursus ex situ protrahebantur. quocirca facile concesseris, Suetonium antiquiorum auctorum unum vel alterum sibi iam ex biographis notum insuper ipsum evolvisse.

Verum ut id est, certe de suo addidit Suetonius eruditioni a biographis tractae *Ciceronem in Limone*. nam lector studiosissimus Ciceronis Suetonius fuit, quem amavit et admiratus est, quin adeo coluit, ut adversus Didymum, calumniatorem eius librum conderet *Περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας*, de quo cf. Reifferscheid, Suet. rel. p. 467 ss. et Funaioli, Realenc. 2. Reihe IV 624, 41 ss. memoriam Tullianam Suetonii A. Macé, Essai sur

Suétone (Paris 1900) p. 284 ss. sedulo collegit, auxit Buecheler, Mus. Rhen. 59 (1904) p. 328 (Kl. Schr. III p. 321) versu quodam *Marii*, poematis deperditi Tulliani: *tunc se fluctigero tradit mandatque paroni*. qui versus apud Isidorum, *Orig.* XIX 1, 20 traditus nuper etiam in opere musivo Africano saeculi II exeuntis repertus est; ubi obvium coniectando Buecheler ad Suetonii *Pratum* rettulit, iusto iure recusans, ne ex ipso Cicerone artifex a litteris remotior operis musivi „Neptuniorum pratorum“ quae vocantur, versum sumpserit. iam vero id ipsum, quod litterarum genere *Pratorum* Suetonius excellit, suadet maxime, ut in eiusdem Suetonii manibus *Limo* Tullianus fuerit. nam qui *Pratum*, i. e. *Limonem* ipse foras dedit, is *Pratorum* opera, quotquot indagare potuit, bibliothecae suae inserta sub oculis habuit.

De Ciceronis igitur versibus a Suetonio ex *Limone* Tulliano transcriptis constat. e contrario difficillima quaestio iis, qui Caesarem dictatorem sub *C. Caesare* intellegunt, obvenit, cum profiteri iubentur, unde eclogam dictatoris Suetonius petiverit. sane luculentissimus auctor fragmentorum Divi Iulii Suetonius fertur, qui in omni scriptura eius habitabat. at in eruendo fonte, ex quo Suetonius Caesarem dictatorem et Ciceronem de Terentio secum litigantes traxerit, a Cicerone egrediendum est, partibus dictatoris posthabitis interim. nam in *Limonis* opere collectaneo Cicero versus suos de Terentio ex diserto Suetonii testimonio publici iuris fecerat. itaque dictator non nisi *Limone* Tulliano inspecto obloqui Ciceroni potuit in scripto quodam ipsius, seorsum tradito a scriptis Tullianis. iam vero fac, Suetonium ipsum par illud carminum Ciceronis et dictatoris Caesaris primum in altercationem iunxisse. qui si ipse observationibus felicibus ductus ex diversis voluminibus bibliothecae Caesareae, a qua erat, altero Tulliano, altero Caesareo, altercationem struxisset, num censes, Divi Iulii codicillorum titulum silentio eum praeteritum fuisse Tulliani operis titulo *Limone* cum diligentia prodito? quid plura? ad deverticula et flexiones refugere ii coguntur, qui in explorandis fontibus Suetonii sudantes dictatorem apud Suetonium pro adversario Ciceronis habent. nec cuius generis in chartis dictator locum *Limonis* Tulliani sibi castigandum sumpserit, nec qua via castigatio Caesarea ad Suetonium pervenerit, nec vero cur Cicero de arte Terenti locutus periodo incisa se cohibuerit, declarare valebunt.

Contra commodissime quaestio fontium absolvitur, si Cicero in *Limone* eclogam magistri lectoribus inspiciendam sibi que

in melius vertendam proposuit, Suetonius autem *Limonem* exscripsit. quodsi quae imprimis spinosa esse visa est indagatio fontium Suetonii, ea uno ictu profligatur et ad exitum adducitur revocato in mentem C. Caesare magistro Ciceronis, novum et acceptissimum argumentum ad priora accedit, quibus dictatorem e numero criticorum Terenti versificantem dimisimus.

8. De C. Caesaris L. f. carmine didascalico

Qui versus Caesaris poetae incipiunt ab allocutione *tu quoque*, ii pro exordio epigrammatis lusorii in unum Terentium conditi haberi nequeunt. immo vox *tu quoque* clamat, maioris poematis particulam eclogam esse, quo in poemate prater Terentium alii quoque comici, sicut Terentius *in summis*, sive in alio ordine catalogi comicorum positi, iudicem criticum subierunt. atque adeo ad quod genus litterarum carmen Caesaris, cuius pars ecloga est, pertinuerit, vidit F. Leo, Herm. 49 (1914) p. 195, quamquam auctorem versuum dictatorem Caesarem communi obvolutus errore duxit: „Diese literarischen Verse gehören offenbar in die Nachfolge der historisch-kritischen Gedichte, die Volcacijs und Porcius über die römischen Dichter verfaßt haben“. carmen igitur *De poetis* Caesar poeta scaenicus foras dederat, quod catalogi instar decurrens antiquiores poetas scaenicos deinceps recensitos continuit. qua ex condicione peculiari poematis ab uno nomine ad alterum progredientis intelligitur, quo iure rubrica Terentiana a *tu quoque* initium capit.

Verum quod F. Leo ex altero *tu quoque*, unde Ciceronis versus ex *Limone* transcripti ordiuntur, concludere voluit 1. 1. p. 194 et Gesch. d. r. Lit. I p. 253, Ciceronem quoque carmen catalogicum „ein Jugendgedicht“ eius generis condidisse, in eo probandus Leo non est. nam litterarum genus, quod genus *Pratorum* est, de quo infra p. 31 capite proprio egero, obstat, quominus *Limonem* Tullianum pro poemate didascalico aequando cum Volcacijs et Porcii operibus habeamus. immo *tu quoque* illud, a quo versus Tulliani incipiunt, eo declaratur, quod Cicero operam collocans in transformanda ecloga Caesaris magistri, ea tantummodo novavit, quae novare opus erat ad restringendam acrimoniam Sesquiculi in Terentium et ad urbanitatem Terenti amplius celebrandam. quodsi Cicero *tu quoque* Caesaris magistri in sua sede intactum reliquit, non est, cur parodici quicquam huic flosculo *tu quoque* inesse dicas, nedum sit, ut ad veram condicionem versuum Ciceronis definiendam hos

versus una cum ecloga Caesaris sub litterarum genus altercationum redigas.

Quo plus autem nos in sede primaria eclogae Caesaris eruenda versantes id iuvat, quod Leo ad Volcacium et Porcium provocavit, eo confidentius a dictatore ad Caesarem aedilem anni 90 a. Chr. ascendimus. nimirum proxime abest a Volcacii et Porcii temporibus Caesar aedilicius, plurium decenniorum intervallo dictator. vix usque in illius saeculum, quod variis et novis litterarum generibus pollebat, auctoritas Volcacii et Porcii ad successores creandos valuit.

A Volcacio et Porcio differt Caesar poeta in eo, quod non ut illi in senariis aut quadratis carmen *De poetis* scripsit, sed in heroico. sic iam ante Sullam sub Gracchis Lucilius libro X poëtis et oratoribus Romanis quibusdam detrectans versu heroico usus est. Lucilium post Ennium ad nova et varia argumenta heroicum cum eventu optimo duxisse nemo nescit. ceterum ad Lucilium haud scio an Caesar poeta, homo mordax, etiam in eo se accommodaverit, ut vitas singulorum poetarum ad rationem biographicam enarrare supersederit, idem contentus fuerit artem et vim singulorum trutina critica examinavisse. denique in elocutione quoque a Lucilio Caesarem pendere p. 3 monui.

9. De Ciceronis Limone opere miscellaneo

Limo Tullianus cuius generis litterarum fuerit, ut appareat, opus est tam aliorum veterum opera hoc titulo instructa in conspectum vocare quam eos quoque scriptores recolere, qui ipsi se in eodem litterarum genere atque *Limonum* scribere fatentur, etsi diversis titulis utuntur. inter quos Gellius, *Noctium Atticarum* scriptor in praefatione se *Limonibus* aggregat. quo in opere Gellii passim eclogae poetarum proponuntur, quae subsequenti vel antecedenti sermone pedestri castigantur. quin id quoque apud Gellium XII 2,2 ss. fit, ut versus Ennii, *Ann.* 306 s. Ciceroni placentes de arte scribendi Cethegi, rursus ipsi castigentur a Seneca philosopho. en, praeterpropter eadem est ratio, qua Cicero in *Limone* castigavit C. Caesarem, qui ipse castigaverat Terentium.

Praesertim autem praefatio Gelliana *Noctium Atticarum* utilis est ad indolem *Limonis* Tulliani intellegendam. nimirum Gellius in praefatione opus suum titulo proprio praeditum cum aliis operibus collectaneis comparavit, quae ipsa quoque titulis peculiaribus splenderent. quos inter titulos *Limonis* nomen duo-

bus locis profert, priore loco usus graeco vocabulo Λειμώνες, posteriore latino *Pratum*: praef. 3 ss. p. 1 s. Hosius: *facta igitur est in his quoque commentariis eadem rerum disparilitas, quae fuit in illis annotationibus pristinis, quas breviter et indigeste et incondite ex eruditionibus lectionibusque variis feceramus. . . Commentationes hasce . . . inscripsimus Noctium Atticarum nihil imitati festivitates inscriptionum, quas plerique alii utriusque linguae scriptores in id genus libris fecerunt. nam quia variam et miscellam et quasi confusaneam doctrinam conquisiverant, eo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt, namque alii . . . inscripserunt . . . Λειμώνες, quidam Lectionis suae, alius Antiquarum lectionum, . . . est item qui Historiae naturalis, . . . est praeterea qui Pratum . . . scripserit.*

Similiter autem atque Gellius Plinius quoque in praefatione *Naturalis Historiae* titulos librorum miscellorum attulit, inter quos Λειμών praef. 24 occurrit. decurtato Plinio, passim aliorum fontium compilatione aucto, Solinus *Collectanea rerum memorabilium* inscripsit.

Nec vero Pamphili saec. I p. Chr. scribentis Λειμών aut Suetonii *Prata* opera systematica ad normam operis Pliniani *Naturalis Historiae* fuerunt. de Pamphilo M. Wellmann, *Herm.* 51 (1916) p. 56 recte monuit: „Wir lernen durch den Λειμών des Pamphilos eine Literaturgattung kennen, die aus Excerpten der antiken Literatur zur Belehrung und Unterhaltung bestand.“ Reifferscheidium autem, qui *Suet. rel.* p. 193 ss. *Pratum* Suetonii grande opus systematicum fuisse arbitratus est, refutavit post alios disquisitione diligentissima Hyg. Funaioli, *Realenc.* 2. Reihe IV (1931) 632 ss. Pamphili operis naturam ex Suetoniano, Suetonianum ex Pamphileo declarabat cognitor probatus litterarum ex lectionibus et excerptis conflataram Carolus Wendel, *Realenc.* XVIII 3 (1949) 337,2 ss.: „Da Suetonius den Titel (Λειμών des Pamphilos) mit seinen *Prata* unmittelbar aufgegriffen hat, dürfen wir auch aus den wenigen gesicherten Bruchstücken, die daraus bekannt sind und die von Gesetzen, Kalendertagen, Wetterzeichen, Namen der Meere und Winde, vielleicht auch geschichtlichen Dingen handeln, auf einen sehr bunten Inhalt des pamphileischen Werkes schließen.“

Suetonius igitur eandem materiam, quam libris systematicis absolverat, passim etiam in *Pratis* tetigit. sic Ciceroni quoque post libros pridem editos subvenerunt per longum studiorum tempus additamenta, quae digna ei esse viderentur, ut publici iuris fierent. itaque quae in scriptura sua rhetorica, phi-

losophica, historica, geographica sive pedestri sermone sive versibus tractaverat, supplementis Cicero auxit delectabilibus et docibilibus *Limonis* horto florido condito. quos auctores Cicero libertis excerpandos mandaverat, eorum excerpta non omnia in contextum librorum systematicorum recipere contigit. quot et quantis lectionibus variis excerptisque cuiusvis generis scrinia Ciceronis turserint, taxare licet vel ex voce eius *Ad Att.* II 20,6 *a Vibio libros accepi. . . describo et remitto*. quaecumque excerpta collegit, eorum gravissima ne oblivioni darentur, in opus collectaneum contulit, quod in vulgus iit repletum et aliis quaestionibus miscellis et disceptatione cum Caesare magistro de Terentio.

10. Quo ordine Caesaris ecloga et Ciceronis versus in Limone Tulliano sese exceperint

Cicero in *Limone* de Caesare Terentiomastige diputaturus ea tantum sub condicione in fronte disputationis plenum eclogae textum pro lemmate expandere debuit, si eclogam ad inferos solidam mittere voluit. sin autem id dumtaxat ei in animo erat, allocutionem acerbam *o dimidiate Menander* remove remotamque compensare allocutione urbanitatem Terenti uberius efferente, initium perorandi a sola voce famosa *o dimidiate Menander* digito lectoribus monstrata sumere licuit. qua voce invidiosa abiecta Cicero genio suo adeo indulsit, ut alieno carmini exordium novum versuum quattuor imprimeret. tunc poetandi labores tam suos quam Caesaris in unam tabellam coactos lectoribus proposuisse. cui officio si stetit Cicero, eodem ordine versus eius et ecloga Caesaris in *Limone* se exceperant, quo in Suetonio leguntur.

At sit, ut inverso ordine atque in Suetonii *Vita Terentiana* in *Limone* Tulliano carmina se exceperint. nonne Suetonius commoditati lectorum consulturus erat ordine carminum ita mutato, ut is conexus eorum nasceretur, quem nasci Cicero voluerat? nempe absurdum erat, calci eclogae Caesareae eos versus suspendere, quos Cicero eo animo finxerat, ut fronti eclogae praepositi irrisionem Sesquiculi in Terentium diluerent.

Denique si quis perstat gravari, quod quaestio de ordine carminum in *Limone* Ciceronis in lubrico remaneat, suppetit etiam altera ratio, qua declaretur, unde fieri potuerit, ut carmina inverso ordine apud Suetonium atque in *Limone* Ciceronis se exceperint. quae ratio ex consuetudine grammaticorum aevi impe-

ratorii repetitur suo more collectanea opera compilantium. nimirum grammatici seriores, quae erat condicio rei librariae antiquae illustrata facunde a Dziatzko, Realenc. III 955 ss., passim in excerptis libris collectaneis locos dignos transcribi, cum evolvebant volumina, notula signabant, deinde, cum revolvebant colligebantque volumina, locos signatos retroversus cedentes in contextum suae scripturae recipiebant. quae consuetudo grammaticorum dudum in Nonio resecta magno usui fuit Friderico Marx ad Lucilii fragmenta digerenda *Luc. rel.* I p. LXXXII ss. et II p. VI. deinde in Donati catalogo Suetoniano *Appendicis Vergilianae* versatus Guilelmus Baehrens, Philol. Wochenschr. 41 (1921) p. 501 s. in hanc consuetudinem grammaticorum inquirebat. praeterea Donati discipulum Hieronymum, cum libro priori *Adv. Iovinianum* ex Plutarchi collectaneo opere γὰρ. παρ. eclogas inspergeret, inversum ordinem sequi atque Plutarchum docui „Diatr. in Sen. frg“ I (1915) p. 74 s. inde a Plutarchi capite XLIII incipiens Hieronymus excerpta deinceps affert ex capitibus XL, XXXV, XXII, X, desinens in cap. VII. quocirca si quis ex Hieronymo contextum Plutarchi recuperaturus fuerit, inversum ordinem decurrere fecisset atque Plutarcheum.

Quid plura? futilissimo argumento is uteretur, qui ex ordine, quo Ciceronis et Caesaris versus apud Suetonium leguntur, id sibi videretur posse efficere, ut C. Caesarem poetam et oratorem Sullani temporis, quem ex obscuro protraximus auctorem eclogae C. *Caesaris*, rursus in tenebras relegaret.

FRAGMENTA C. CAESARIS L. F. POETAE ET ORATORIS COLLIGUNTUR

In labyrinthum quaestionum περί δμωόντων intrat, cui fragmenta C. Caesaris L. f. colligere propositum est. nam numerus virorum nobilium, qui scribendo vacantes a rerum scriptoribus digni memoratu ducti *Caesaris* nomen tulerunt, tantus est, ut quaestiones prosopographicae vigilantiae summae indigeant. praesertim autem inter *Gaios Caesares* nomen dictatoris adeo claruit, ut Gai Sullanae aetatis memoria non solum in ecloga Suetonii, sed etiam aliis locis pluribus evanesceret. quamquam in orationum fragmentis curae prosopographicae eo sublevantur, quia imperatoria aetate inde ab Augusto *Strabonis* cognomine inscriptum corpus orationum apud bibliopolas prostitit (cf. p. 10 ss.). similiter in poeticis magno usui est,

quod tragoediae Caesaris teste Asconio nomine gentilicio *Iulii* nude posito inscriptae circumferebantur (cf. p. 8).

Fragmenta poetica

Tuta a dubitatione, utpote sub titulo Asconiano *Iulii* a Festo et Macrobio allata, remanent tragoediarum *Adrasti* et *Teuclantis* fragmenta, utriusque fabulae singula: *Adrasti* senarii duo: *cum capita viridi lauro velare imperant prophetae sancti, caste qui curant sacra*; *Teuclantis* quadratus unus: *flammeam per aethram late fervidam ferri facem*. (cf. Trag. Rom. fragm.² p. 263 s. Ribbeck; p. 304 s. Klotz). nec minor est auctoritas *Iulii* in *Tecmesa* fabula, cuius titulum Marius Victorinus loco illo conclamato servat, quo catalogum cognominum Caesaris exhibet (cf. p. 8). quamquam Victorinus inscriptionem specialem, sub qua tragoediarum corpus teste Asconio circumferebatur, *Iulii* parum curat, *Iulium Caesarem* tragicum vocat. ceterum hanc appellationem poetae tragici rursus quodammodo tuetur Valerius Maximus III 7, 11 *Accius Iulio Caesari in collegium poetarum venienti numquam adsurrexit*.

Attamen eadem nomenclatio *Iulius Caesar* quarto tragoediarum *Iulii* fragmento damnosa fuit, quippe quod inter reliquias dictatoris Realenc. X (1917) 260,27 etiam nunc inseritur. servavit hoc fragmentum quartum Isidorus, *Orig.* IV 12,7 *telinum, cuius Iulius Caesar meminit dicens: „corpusque suavi telino unguimus.“* quae verba senarium paene integrum facere post alios monuit Buecheler, qui argumentatione compressa se cohibens versus dictatori dempsit, tragico dedit *Archiv f. l. Lexikogr.* I (1884) p. 113 (*Kl. Schr.* III p. 54). ut autem scrupuli omnes de auctore versus deleantur, iis quae Buecheler attulit, quaedam addo.

De *Tecmesae* *Iulii* argumento

Ad Caesarem antiquiorem potius quam ad dictatorem versus ille ideo iam a Buechelero refertur, quia *telini* unguentum dictatoris tempore extra usum dudum relictum erat. cuius rei testem luculentum affero Apollonium Herophilium sub exitu saeculi I a. Chr. librum *Περὶ μύρων* scribentem (cf. Realenc. II 150,28); v. Athenaeum XV p. 689 A *ἡ δὲ Συρία τὸ παλαιὸν χρηστὰ πάντα παρείχετο, μάλιστα δὲ τὸ τήλιον, νῦν δὲ οὐ.* quibus vero saeculis *telinum* in usu praecipue fuerit, cognoscitur ex Polybio XXXI 4,2 ludos gymnasticos regis Antiochi IV Epiphanis describente: *παραπλησίως δὲ καὶ ταῖς ἐξῆς εἰσεφέ-*

ρητο τήλινον (cf. Realenc. I 2475,1); idem discitur ex Plinio, *Nat. hist.* XIII 13 hoc (*telinum*) multo erat celeberrimum Menandri poetae comici aetate. unde apud Plautum a Menandro suspensum *Curc.* 103 *bdellium* traditum Buecheler scite in *telinum* correxit. sedem igitur domesticam haec vox tam in scaenica poesi vetustiore apud Plautum quam apud pedisequum scaenicae veteris poseos Caesarem Sullanae aetatis sibi vindicat; postea non nisi in litteris technicis antiquariorum de unguentis locum occupat. nec vero usus vocis tam artis finibus circumscriptus eo dilatatur, quod Tertullianus, *De pallio* 4 *telinum* memorat inventus in Herculem apud Omphalam ornatu muliebri incedentem. neque enim suae aetatis luxum carpit Tertullianus, sed *Menippeam* Varronis compilat, qui rursus Menippum, Menandri contemporaneum exscripsit; cf. J. Geffcken, „Kynika“ (1909) p. 95 et 108 s.

Meum autem est, Isidori versum mutilum integrum facere: *(comam) corpusque suavi telino unguimus*, factumque integrum ex incerta sede in certam deducere. colloquio mulierum in fabula *Tecmesa* mihi sumendo versum tribuo, argumentis ductus aut fallor aut sufficientibus. *telinum*, quo usus Hercules apud Omphalam increpatur quodque apud Athenaeum XV p. 689 D καὶ γλυκὺ καὶ ἀπαλόν, dulce etiam ac molle esse dicitur, a Caesare *suave* vocatur, multo melius quam ad mares ad feminas quadrat. coma unguentis madida feminas maxime decet, inque mentem ilico venit Catullus *comam* Berenices loquentem faciens 66,78 *unguenti cuatum milia multa bibi*. iuncturam verbalem *comam unguere* poetico sermoni asserit Ovidius, *fast.* V 340 *unctae mollia sarta comae*. allitteratio, quam feci *(comam) corpusque* convenit Caesari in *Teutrante* allitterationem paene ultra lepidum exercenti *flammeam . . . fervidam ferri facem*, atque etiam in *Adrasto* est *caste . . . (c)urant*. denique apud Athenaeum XV 40 p. 689 F eo capite, quo exponitur, cuius ex quoque humanorum membrorum maxime comodum sit quodque unguentorum genus, duorum poetarum eclogae sese excipiunt; quarum prior τὴν κόμην tangit, sequitur in posteriore ἀλείφεισθαι . . . τὸ σῶμα.

Atque adeo ex persona ipsa *Tecmesae* efficio, diverbium mulierum in *Tecmesa* Iulii fuisse, quod diverbium in ethesin versatum sit. nimirum personae tragicae *Tecmesae* characterem Sophocles in *Aiace* posteris dedit. ex captiva et serva Telamonii uxor facta pudicitia et amore coniugali eminuisse visa est. consentaneum autem est, *Tecmesam* in speciem maritae mente pi-

issima coniugem colentis elatam Romanis antiquis praecipue placuisse, quorum erat, uxorem domum servantem lanamque facientem pluris aestimare quam Aspasiā Periclis. unde accidit, ut apud Graecos tragoediam titulo Τέχμησσα inscriptam coniectando tantum Augustus Nauck, *Trag. Graec.* frg.² p. 967 in indice fabularum posuerit; apud Latinos autem praeter Iulii *Tecmesam* etiam antiquiorem tragoediam archaicae latinitatis forma *Tecumesa* inscriptam in scaenam prodiisse, probabilissimum est; nam Marius Victorinus, *Gramm. lat.* VI p. 8,8 Keil testatur, Iulium suam tragoediam primum *Tecmesam* inscripserit abolita vetustiore forma *Tecumesa*.

Quodsi quas partes morales *Tecmesa* in arte scaenica vetere Romanorum gesserit constat, in Iulii tragoedia *Tecmesa* senarius (*comam*) corpusque *suavi telino unguim* sedem idoneam sibi vindicat. exornavit Iulius tragoediam suam ethologia morali, cum *Tecmesam* colloquentem fecit cum puellis lascivioribus, tam alia mollia et delicias suadentibus quam *comam* corpusque telino suavi unguentibus. quod genus ethologiae moralis ideo maxima cum fiducia *Tecmesae* Iulii adscribo, quia per omnem vitam et litteras Romanorum inde a tragoedia vetere ex Sophocle suspensa usque ad aetatem Augusteam *Tecmessa* pudica impudicis puellis opposita in locum communem abiit; cuius rei testis luculentus fit Ovidius, *ars am.* III 517 ss. *odimus et maestas, Tecmessam diligat Ajax; nos, hilarem populum femina laeta capit. numquam ego te . . . Tecmessa, rogarem . . . scilicet Aiā mulier maestissima dixit: „lux mea“, quaeque solent verba iuvare viros.* qui versus Ovidii nequaquam ad partes *Tecmessae* in Pacuvii Acciive fabula *Armorū iudicium* spectant, id quod Ribbeck et Hoefler apud Roscher, *Lex. d. gr. u, r, Myth.* V 212,53 credere videntur, sed argumentum proprium fabularum Romanarum *Tecmesae* produnt.

Ex Divi Iulii poematis ne unus quidem versiculus diem tulit. nec mirum, quandoquidem Tacitus, *dial.* 21 tam de illius carminibus quam Bruti salse adnotat: *fecerunt . . . et carmina . . . , non melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt.* ceterum teste Suetonio, *Iul.* 56 Augustus patris opera poetica in bibliothecas recipi vetuit.

Kuebler, *Caes.* ed. III p. 221 et Klotz, *Realenc.* X 266,12 testimonium Firmici astrologi, *Math.* II praef. 2. p. 40,13 Kroll *scripsit . . . paucos versus Iulius Caesar* ne ad suspectas quidem reliquias dictatoris referre debuerunt. quod testimonium ad Germanicum *Arateorum* auctorem spectat, qui legitimum nomen tulit *Germanicus Iulius Caesar* (v. *Realenc.* X 435,14).

Fragmenta pedestria

Pedestris sermonis fragmenta ab H. Meyer, *Orat. Rom. frg.*² (1842) p. 330 ss. et ab H. Malcovati, *Orat. Rom. frg.* (1930) II p. 89 ss. III p. 23 ss. collecta locis duobus sub nomine C. Caesar apud Quintilianum, *Inst.* VI 3,75 et 91 occurrentibus adaugeo. fit vero, ut ea, quae his locis Quintilianus memoriae prodidit facete dicta C. Caesaris, frustra quaerantur apud Meyer atque etiam apud Malcovati tam inter Strabonis reliquias quam inter dictatoris; cf. Meyer, l. l. p. 330 ss. et p. 404 ss. Malcovati, l. l. II p. 89 ss. III p. 23 ss. et II p. 196 ss. III p. 105 ss. in *Indicibus* autem editionum Quintiliani utrosque locos sub nomine C. Caesar allatos dictatori perperam adscribunt et F. Meister (1886) p. 303 et L. Radermacher (1907 ss.) p. 431.

Quint. VI 3,75 *quemadmodum C. Caesar Pomponio ostendenti vulnus ore exceptum in seditione Sulpiciana, quod in se passum pro Caesare pugnantem gloriabatur, „Numquam fugiens respexeris“ inquit.* seditione Sulpiciana annorum 88/87 commemorata certum fit, Sullanae aetatis C. Caesarem in sermone esse, cuius oratio contra P. Sulpicium Rufum tribunum inter clarissimas eius fuit; cf. p. 12. circumspecte autem Fr. Muenzer, *Realenc.* 2. Reihe IV 848,45 s. v. *Sulpicius* hunc Quintiliani locum testimoniis addidit, quibus usus conflictum C. Caesaris aedilicii cum Sulpicio enarravit.

Quint. VI 3,91 *est et illa ex ironia fictio, qua usus est C. Caesar. nam cum testis diceret, a reo femina (femora) sua ferro petita . . . „Quid enim faceret“ inquit, „cum tu galeam et loricam haberes?“* quo loco cum testis et reus memorentur, in actione forensi Caesar interloquendo in ironiam incidit. mira autem facultate interloquendi ex improvise aedilicius claruit; cf. Cic., *De off.* I 133 *sale vero et facetiis Caesar, Catuli patris frater* (cf. *Realenc.* XIII 2072,44 et 2082,33 s.) *vicit omnes, ut in illo ipso forensi genere dicendi contentiones aliorum sermone vinceret.* quo igitur argumento aedilicius hoc loco pro dictatore reponendus sit, apparet. cf. etiam G. L. Spalding, ed. Quint. (1803) II p. 603 *„satis tamen persuasum habeo esse (hoc dictum) C. Iuli Caesaris Strabonis. in hunc maxime cadit altercatio cum teste et ipsa quoque festivitas.“*

Praeter haec duo fragmenta aedilicii Caesaris Quintilianus etiam alias duas facetias eius exhibet, quibus tamen locis ille non C. Caesar, sed *Inst.* VI 3,38 C. Iulius atque ibid. XI 3,129 Iulius audit. at has facetias ex Cicerone, *De orat.* II 266 et *Brut.* 216 Quintilianus hausit, monique supra p. 11, eum una cum

excerpto Tulliano modum quoque nominandi Caesaris ex Cicerone transcripsisse, appellationem aedilicii multifariam variante. diversa autem appellatio aedilicii apud Quintilianum diversum fontem eius indicat. facetias sub nomine *C. Caesar* propositas ex Domitii Marsi opere *De urbanitate* sumpsit, quem auctorem in libri VI capite 3 *de risu* teste ipso VI 3,102; 108; 111 passim adhibuit. quo in opere Marsi proprium caput facetiis Iulii dicatum fuisse suspicor, quod titulo *C. Caesaris dicta* inscriptum haud scio an in causa fuerit, cur Quintilianus Iulium VI 3,75 et 91 *C. Caesarem* nominaverit. nimirum in eo litterarum genere, quod Marsus sub Augusto atque etiam Mellissus, Maecenatis libertus coluerunt, singulis personis singula capita *Dictorum* assignata fuisse, ex Macrobiani, *Saturn.* libro II discitur; qua de re uberius disserui „Diatrube in Sen. philos. frg.“ I p. 307 ss. pervenerunt autem in opera *Dictorum*, qualia iam ante Marsum et Melissum aetate liberae rei publicae in publicum iisse opinio peritorum communis est, C. Caesaris aedilicii facetiae potissimum quidem ex orationibus eius. velut fragmentum novum VI 3,91 ex oratione originem trahere, *testis* et *reus* ibi memorati demonstrant. at alterum fragmentum VI 3,75, responsum mordax Caesaris militi datum, qui praemium vulneris in seditione Sulpiciana ore excepti ab eo exposulaverit, „*numquam fugiens respexeris*“, id fando propagatum in collectiones *Dictorum* rei publicae exeuntis venisse arbitror. nam actionis forensis vestigia in eo fragmento nulla sunt. quamquam nescius non sum, consimiles narratiunculas de veteranis praemia vulnerum a duce exposulantibus scaenam in actionibus forensibus habuisse; sic de Augusto Macrobius, *Saturn.* II 4,27 narravit et Seneca, *De benef.* V 24 de Divo Iulio. verum C. Caesarem in seditione Sulpiciana brevi ante interitum post cladem suorum urbe tumultuante actionibus forensibus interfuisse parum probabile est. Augustus Actiaco bello dudum peracto, Caesar dictator longe post bellum Hispaniense veteranos querulos in foro audierunt.

Quodsi vel coram aspersos sales C. Caesaris loquacitas urbana perennare fecit, nec solum orationes tragoediaeque in vulgus missae, sed etiam *Dictorum* opera memoriam eius ad posteros tulerunt, nescio qua ratione melius intellegatur, cur homonymia dictatoris Quintilianum aut Suetonium ne minimum quidem prohibuerit, quominus praenomine tantum et cognomine stirpis vocatum antiquiorem C. Caesarem lectoribus proponerent ut caput dicacitate selecta litteratis notissimum.

L. Radermacher in indice ed. Quint. p. 431 ad Caesarem Strabonem immerito rettulit *Inst.* XII 7,3 s. *creditiq̄ue sunt etiam clari iuvenes obidem rei publicae dare malorum civium accusatione . . . idque cum ab Hortensio, Lucullis, Sulpicio, Cicerone C a e s a r e , plurimis aliis, tum ab utroque Catone factum est.* quo loco editorem de Quintiliano optime meritum praeteriit, dictatorem in adulescentia Dolabellam repetundarum accusavisse (cf. Suet., *Iul.* 4 et 55; Gell. IV 16, 8). inde eius rei immemor praepropere refugit ad Strabonis *Pro Sardis*, de qua cf. supra p. 2 et 13. ceterum etiam H. Meyer, *Orat. Rom. frg.*² p. 408 hunc Quintiliani locum inter testimonia orationis *In Dolabellam* dictatoris merito recepit.

Adnotatiunculae de Caesaribus δμωνόμων diras perpessis

Non solum cum dictatore C. Caesar aedilicius confundebatur, sed etiam cum fratre suo maiore Lucio cos. a. 90. Valerius Maximus quidem cum dicit IX 2,2 *C. Caesaris consularis et censorii nobilissimum corpus ignobili saevitia trucidando*, Lucii fratris cursum honorum in Gaium transtulit. excusatur de errore Valerius eo, quod fratres ambo compari nece a. 87 interierunt (cf. Realenc. X 468,47).

Rursus dictator Caesar non solum gentilium suorum Gaio Sullanae aetatis memoriam detraxit, sed etiam contemporaneo L. Iulio Caesari, scriptori spectato de iure augurali. cuius L. Caesaris, cos. a. 64 opus augurale amplissimum testantur Macrobius, *Saturn.* III 13,11 *L. Iulius Caesar augur*; Priscianus, *Inst.* VIII 15 *Gramm.* II p. 380,3 *Lucius Caesar: certaeque res augurantur*; Festus p. 161 M. (p. 154,4 Lindsay) *maiolem consulem L. Caesar putat dici vel eum.* iam vero his locis, quibus persona discernitur praenomine *Lucius* ad gentilicium *Iulius* sive ad cognomen stirpis *Caesar* adiecto, accedunt carentes praenomine loci duo, Macrobi., *Saturn.* I 16,29 *Iulius Caesar sexto decimo auspicioꝝ libro* et Priscian., *Inst.* VI 86 *Gramm.* II p. 270,5 *Caesar in auguralibus.* quorum locorum Prisciano editores grammatici dictatorem intellegere perstiterunt, donec, qui in corpore *grammaticorum lat.* Priscianum edidit M. Hertz errorem priorum rexit. qui insuper relegavit ad C. Nipperdey, ed. *Iul. Caes.* (1847) p. 785, utpote qui primus prohibuerit a dictatore testimonium Prisciani. verum ne Nipperdey quidem aut Hertz auctorem *librorum auguralium* recte destinaverunt. nimirum apud eos L. Iulii Caesaris, cos. a. 64 sedem occupavit immerito pater eius L. Iulius Caesar, cos. a. 90, frater maior C. Caesaris poetae et oratoris. cui errori iusto diutius grassanti obnoxius deprehenditur etiam Ed. Norden, *Ilbergs Jahrb. f. d. klass. Altertum* VII (1901) p. 257 adn.

5. tandem ad verum venit Fr. Muenzer, Realenc. X 471,32, qui L. Caesari, cos. a. 64 opus reddidit. de hoc autem L. Caesare eiusque opere grandi *Librorum auguralium* propediem commentatione propria agam, tam genus litterarum operis quam auctoritatem eius apud posteros in lucem maiorem pro virili parte laturus.

Tot igitur Caesares cum in litterarum partibus variis floruerint, quaestio de homonymis discernendis praecipue in litteris infimis potest fieri ut in cassum cadat. sic quid cum loco *Orig. gent. Rom.* 16,4 p. 17, 14 Pichlmayr *Gaius Caesar . . . in Origine gentis Romanae* faciendum sit, incertum remanet, nisi forte praenomen *Gaius* illic traditum ex vitio scribarum ortum traxit. praeter quod nescimus, cui Gaio Caesari opusculum eius generis tribuere fas sit, illud quoque ignoratur, an scriptor ille serus ipse noverit, cuium caput *Gaius Caesar* iste ab eo laudatus fuerit.

E contrario Quintilianus et Suetonius, ubicumque *Caesarem* aut *C. Caesarem* in contextum scripturae suae receperunt, bene novisse putandi sunt, quis *Caesar* sub laudato intellegendus sit. Quintilianus habitavit in lectione Ciceronis, cuius in operibus *C. Caesar* orator et poeta Sullani temporis passim occurrit, quin in scriptis rhetoricis maiores partes obtinet quam dictator. ubi igitur Quintilianus *C. Caesaris* facetias in capite *de risu* VI 3,75 et 91 enarrat, salsi generis loquendi auctorem, a Cicerone identidem celebratum cogitat; idem Quintilianus, cum X 1,114 in ordine magnorum oratorum Romanorum constituendo occupatus iuxta Ciceronem *C. Caesarem* collocat, dictatorem in animo habet, puro sermone et vi dicendi auctorem nobilissimum.

Suetonii studia Tulliana supra p. 28 s. strinxit, quem ne falleret *C. Caesaris* nomen anceps in textu Tulliano modo dictatorem, modo scriptorem Sullani temporis significans, cavet notitia eius profunda non modo Ciceronis, sed etiam litterarum antiquiorum, qua pollebat pro saeculo suo. ut libros *De viris illustribus* adornaret, ascendit ultra Varronem ad carmina *De poetis* Volcacii et Porcii nec non ad *C. Caesaris* poema didascalicum, quod, si forte ab inferis revocare contigit, acceptum Suetonio ferimus. itaque antiquarium fac ne foedes errore communi posteritatis interpretum, qui, cum Ciceronem et Caesarem, vindices ambos latinitatis purae, purum sermonem Terentii laudare viderunt, confusionsi proluxae succubuerunt.